DE

NOTIONE METHODI ANTIPHLOGISTICAE.

PARTIS PRIMAE CAPUT PRIMUM AMPLIORIS CUJUSDAM COMMENTATIONIS, A FACULTATE MEDICA UNIVERSITATIS FRIDERICAE GUILELMAE PRAEMIO ORNATAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS CRITICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCILIANDOS

DIE VI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXVI

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LION HOLLSTEIN

LESNENSIS.

OPPONENTIBUS:

B. KONER, MED. ET CHIR. DR.

S. H. GANS, MED. ET CHIR. CAND.

R. REMAK, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, HUMANISSIMO, LIBERALISSIMO

MAURITIO CARO

AVUNCULO CARISSIMO

ET

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

JOSEPHO HOLLSTEIN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR

PROOEMIUM.

Gratiosus medicorum Ordo Universitatis nostrae splendidissimae hanc anno proxime praeterlapso, quae certamini juvenum inserviret literario, proposuerat quaestionem: ***Methodi antiphlogisticae detur expositio historica et theoretica, quae complectatur explicationem notionis et originis hujus methodi ac virium medicaminum antiphlogisticorum, item varias sententias, quas medici insignes de natura methodi antiphlogisticae protulerunt.*** Argumenti summa gravitas rerumque investigandarum larga amoenitas autoris dissertatiunculae hujus animum timidum suaeque, pro tanta re, imbecillitatis, probe sibi conscium erigebant, ut in arenam descenderet; et quod, praecipue tam fortibus atque strenuis concertatoribus obstantibus, vix unquam sperare ausus fuisset, — palma ei delata est et, quo faustius aliquid ei

contingere non potuit, Judicum Illustrissimorum laus atque assensio. Quamobrem non dubitasset tiro in literis ea, quae hoc gaudebant applausu, in specimen etiam inaugurale edere, nisi proh dolor! commentationis amplitudo, solitum ejusmodi libellorum circuitum longe superans, quominus hoc faceret, impediisset. —

Offert nunc segmentum quidem solummodo, sed tamen ita definitum et circumscriptum, atque materiam pertractantem, ceterae disquisitionis partem potius ***fundamentalem***, quam ***fragmentariam***, constituentem, ut etiam hoc a Lectore Benevolentissimo prospicio vultu acceptum iri, speret atque roget auctor ex intimo animo. Totius vero opusculi, quod brevi, Deo favente, in lucem prodibit, partes sunt tres: quarum ***prima*** duo continet capita, prius ***de notione methodi antiphlogisticae*** (hujusce dissertationis argumentum), posterius ***de illius limitibus*** i. e. indicationibus, contraindicationibus et specialioribus in singularum morborum classium applicatione disserens praeceptis; ***secunda*** pars est ***historica***, quatuor absolvens capitibus disquisitiones de origine hujus methodi accuratioremque, inde a medicinae incunabulis usque ad nostra tempora productam illius fatorum expositionem; ***tertia*** denique in sex capitibus ***singula perlustrat remedia*** antiphlogistica.

LIBRORUM, REM TRACTANTIUM, ENUMERATIO.

Hartig, praes. Faselio, diss. de medicamentis refrigerantibus, Jenae 1764, 4.

Profert autor, in morbis inflammatoriis praecipuam esse habendam curam caloris aucti (p. 4 etc.); cujus originem cum ducat ex nimia partium ignearum liberatarum copia, quae, conjunctae cum sulfureis sanguinis partibus, per salia, illi inhaerescentia, resolutis, aestum gignunt, nullo modo eum exstinguendum putat, nisi, aut salia sanguinis imminuendo, aut partes igneas e corpore eliciendo. — Nihil insuper inest, memoratu dignum, nisi id excipiamus, quod relatum legimus (p. 3 et 13.) „refrigerantia „hodie," „a nonnullis neotericiis," appellantur antiphlogistica."

Krocker, praes. Büchner, diss. de methodo antiphlogistica in genere, Halae, 1768, 4.

Scriptum est hoc libellum ingenio et doctrina. Fundamento nititur autor F. Hoffmanni de inflammatione theoremate, immixto tamen et Boerhaaviano. Methodi antiphlogisticae expositio est dilucida atque diserta; sed proh dolor! nec ille, ut ceteri omnes, de origine illius pariter ac de significationis varietate accuratius quid profert.

De Boissieu mémoire sur les méthodes refraichissante et échauffante, Dijon 1772.

Non perlegi.

Byam, diss. de administratione antiphlogistica, Edinburg. 1775. 8.

Redolet scholam, e qua est profecta; vita nostra pendet a perpetuis incitamentis, plus minusve in corpus nostrum influentibus; methodus vero antiphlogistica in eo consistit, quod illa, sive sint externa, sive interna, aut plane tollantur aut, quantum fieri potest, imminuantur et frangantur.

Richter, programma de remediis antiphlogisticis externis, Götting. 1780, 4.

Nec in Ackermanni Richterianarum dissertationum collectione, nec alibi, illud invenire mihi contigit.

Schroeder, praes. A. F. Hecker, diss. de methodo refrigerante et antiphlogistica, per recentiorum de calore anim alidoctrinam explicata, Erfordiae, 1790, 4.

Superstructa est haec disquisitio Rigbyanis commentis de caloris animalis origine ex ciborum digestione; cui unicae, omnibus aliis neglectis, curatio accommodatur.

Frid. Ziehm, diss. specimen in vires antiphlogisticas mercurii, opii et balneorum tepidorum inquirens, Erfordiae 1794., 4.

In quantos errores incidat, qui methodum antiphlogisticam omnino eam appellet, quae inflammationibus opponatur, luculentissime apparet ex autore hoc, qui, definitionem illam secutus, remediis antiphlogisticis adnumerat (p. 9.) camphoram, opium, Chinam, vesicantia.

Zimmermann, diss. de methodo antiphlogistica strictius definienda, Berol. 1820. 8.

Adstipulans sententiae eorum, qui antiphlogisticorum nomine ea designant remedia, quae inflammationi adhibentur, recte monet auctor, varia illa sint necesse esse, pro inflammationis varia indole atque natura. Methodi vero atque nominis originem se ignorare, ipse profitetur (p. 16).

Olmade, appréciation de la méthode antiphlogistique dans le traitement de quelques lésions organiques, Paris. 1824., 8.

Libellum hoc mihi conciliare non contigit.

Boehr, diss. de methodo antiphlogistica, Berol. 1826., 8.

Nil invenies, nisi seriem medicaminum, quae vulgo nominantur antiphlogistica, et morborum, quibus adhibentur, frigida enumeratio.

Versen, diss. de methodo antiphlogistica, Berol. 1836. 8.

Rem absolvit autor pagellis duodeviginti, nonnulla proferens de sanguinis missionibus, frigore et salibus.

Max. Stoll, ratio medendi, Viennae 1788, t. II. p. 72 et t. VI. p. 491.

Ch. W. Hufeland, System der praktischen Heilkunde, B. I. S. 354.

Reil, über Erkenntniss und Kur der Fieber, Halle, 1797, B. I. S. 282.

Grens System der Pharmakologie, Halle 1798, Th. I. §. 109.

Arnemann, prakt. Arzneimittellehre, Göttingen 1801, p. 366.

A. F. Hecker, Handbuch der allgemeinen Heilkunde, Erfurth 1805, Th. II. S. 662.

Dictionnaire des sciences médicales, tit. antiph.

Conradi, allgemeine Pathol. und Therapie, Marburg, 1811, p. 390.

Curt Sprengel, instit. med., Lips. 1816, t. VI. p. 163.

Dzondi, de inflammatione aphorismi, Halae 1816, p. 57.

Valent. ab Hildenbrand, instit. pract. med., Viennae 1816, t. I. p. 164, t. II. p. 206.

Voigtels vollständiges System der Arzneimittellehre, Lpz. 1816, B. I. S. 325.

Samuel Coopers neuestes Handbuch der Chirurgie, Weimar 1819, tit. antiph.

Caspari, «über die Entzündung, ihre Folgen und Behandlung» *im* Journal für Chirurgie und Augenheilkunde von v. Graefe und v. Walther, 1822, B. 4, p. 1. p. 53.

Sundelin, «über die Anwendung der antiphlogistischen Methode» *im* Archiv für medizinische Erfahrung von Horn etc. 1822, E. p. 179.

Gruithuisen «Prüfung der phys. med. Theorie des Prof. Broussais» *in* med. chirurg. Zeitung, fortgesetzt von Fhrhardt, 1823, B. 2, S. 275.

E. D. A. Bartels, Lehrbuch der allgemeinen Therapie, Marburg 1824, p. 105.

A. G. Richter, specielle Therapie, Berlin 1821, B. I. S. 129.

Encyklopädisches Wörterbuch der med. Wissenschaften, herausgegeben von den Professoren etc. Berlin 1827, art. antiphlog.

Siebergundi, Grundriss der generellen Therapie, mit einer Vorrede von Nasse, Essen 1827, S. 111.

Caroli Hartmann pharmacologia dynamica, Vindobonae 1829, t. II. p. 250.

J. R. Bischoff, Grundsätze zur Erkenntniss u. Behandlung der Fieber und Entzündungen, Wien 1830, S. 111.

Vogts Lehrbuch der Pharmakodynamik, Wien 1831, B. I. S. 323.

Schönleins Vorlesungen über Pathol. u. Therapie, von einem seiner Zuhörer herausg., Würzb. 1832, Th. I. S. 234.

L. Choulant, Lehrbuch der speciellen Pathologie und Therapie, Lpz. 1834, S. 102.

F. A. Puchelt, System der Medizin im Umrisse dargestellt, Heidelberg 1835, Th. I. S. 385.

C. Hartmann, instit. medicae therapiae generalis, ed. Knolz, Viennae 1835, p. 59.

§. 1. Introductio.

Monet Hegel, artis suae haud dubie princeps, in introitu ad philosophiam: priusquam de re quadam fusius loquamur, necesse esse, ut ipsam illam accuratissime mente nostra amplectemur et de illius significatione ac sensu certam atque rectam acquiremus cognitionem. Praeceptum illud, quam sit simplicissimum et omnino ita comparatum, ut de illius veritate ac gravitate, qui dubitaret, nemo facile inveniatur, saepe tamen saepius in medicina fuit neglectum, unde multa confusio ac sententiarum paene innumerae dissensiones. Quanta exinde in praxin redundare damna, et per se patet, et medicinae historia abunde demonstrat; nostrum igitur est, in quacunque re, praecipue, si ad therapiam spectat, in verbis esse quam accuratissimos et malle, in effatis nostris definiendis minutiarum vituperationem, quam levitatis subire opprobrium.

Disputare legimus saepenumero autores, num in hoc vel illo morbo adhibenda sit methodus antiphlogistica, nec ne; practicos quotidie videmus, ad lectulos morbo aliquo acuto laborantium id unum perpendentes, utrum methodus antiphlogistica adhuc sit adhibenda; ita, ut possit videri, de notione methodi antiphlogisticae omnes consentire et rem esse, tam cognitam atque omnibus eandem, ut nulla inde oriri possit dubitatio. Evolventibus tamen nobis libros, qui therapiae theoriam tractant, minime eadem occurrit sententiarum unanimitas, et, quod gravissimum, pro varietate explicationis naturae methodi antiphlogisticae, varia ei adnumerantur medicamina.

§. 2. Sententiarum classificatio.

Omnibus tamen, quae viri docti de methodo antiphlogistica tulerunt judicia, inter se comparatis haud a veritate nimis abesse nobis videmur, si illa in tres potissimum redigamus classes, quibus singulis singula medicorum de methodi antiphlogisticae notione effata possunt subjungi:

1) Sunt, qui methodum antiphlogisticam eam appellent, quae morbis adhibetur inflammatoriis, nullo habito respectu morbi diversissimae indolis. Liceat nobis, hoc in sensu vocabulo antiphlogistico substituere ***contrainflammatorium***, barbarum quidem, sed tamen significantius; cujus quidem novitatis opus erat, ne in opusculi contextu aut in multas incidamus obscuritates, aut ad longas verborum ambages simus coacti.
2) Sunt, qui methodum illam non nisi ad corporis calorem referant, et remedia antiphlogistica eadem putent ***ac refrigerantia.***

3) Sunt denique, qui illam opponant nimiae actioni vitali, et, prout hanc deducunt, aut ab exorbitante vi vitali, aut a vehementioribus irritamentis, antiphlogisticis aut aequipendant *debilitantia*, aut *mitigantia* seu irritamenta imminuentia.

Priusquam tamen ad has sententiarum differentias accuratius exponendas aggrediamur, demonstrandum nobis erit, quod revera, illas tam anxie discernendo, emolumentum quoddam evadat medicinae, nec esse rem otiosam atque futilem. Inveniuntur enim haud pauci scriptores, iique praestantiores, qui nullum ponunt discrimen inter methodum antiphlogisticam, refrigerantem, debilitantem, temperantem etc. ex. c. Hecker (1), Puchelt (2), Conradi (3), alii; quae vero inde in praxin inferantur damna, perfacile est intellectu, et nonnullis allatis exemplis clarius patefiet.

Res est notissima et fere quotidiana, quod homines, phthisi pulmonum laborantes, plane emaciati et extenuati, a pulmonum inflammatione obrepuntur, si quidem denuo tubercula, illis inhaerescentia, emolliri et in suppurationem transire incipiunt; methodum antiphlogisticam tum esse indicatam, inter omnes constat, sed quis est, rogo, qui miseros illos et modo non confectos, adhuc velit debilitare?

Neque etiam methodus antiphlogistica semper est refrigerans; in altioribus peritonitidis aliarumque inflammationum internarum gradibus, non raro extremitates fri-

(1) Handbuch der allgem. Heilkunde p. 662.
(2) System der Medizin etc. t. I. S. 385.
(3) Allgemeine Pathologie etc. S. 391.

gescunt, totum corpus alget, dum pulsus vehementia ceteraque symptomata morbum indicant, qui remedia illa, antiphlogistica vulgo dicta, acerrime postulat.

Denique quis est, quem lateat, dari totas morborum classes, quae, quamquam ab omni phlogoseos natura toto coelo absunt, tamen non nisi methodo antiphlogistica validissime adhibita, possunt coërceri, haemorrhagias dico activas, apoplexias sanguineas etc.?

Allatis his exemplis demonstrare erat in animo, incertas illas atque vagas de notione methodi antiphlogisticae sententias non solum a theoria non posse probari, sed etiam praxin reddere incertam atque mancam. Conemur igitur, pro virium imbecillitate, huic rei aliquam afferre lucem; ut vero et hoc valeamus, et postulationi gratiosissimi Ordinis satisfaciamus, praemittendae erunt singulae, quas invenire nobis contigit, medicorum de methodi antiphlogisticae natura sententiae; quas ut facilius inter se possint comparari, in illas, quas supra posuimus, classes distributas, pertractabimus.

§. 3. Enumerantur, qui in primam classem sunt referendi.

Antiquissima methodi antiphlogisticae notio, ut quidem nos docuit investigatio, quam infra in parte historica latius exponere in mente est, fuit illa, *quod diathesin phlogisticam* tollat atque auferat. — Quod quidem nemo prius atque apertius est elocutus quam Hermannus ***Boerhaave.*** Ait (1) quidem: «Per nullum locum difficilior est transitus, quam per locum, ubi inflamma-

(1) Praxis medica s. commentarius in suos aphorismos Boerhaavii, Londini 1738., 8. vol. II. p. 72.

torium spissum haeret, si vero hoc attenuare possum, et interim non augere motum, tum curo inflammationem; sed hoc est difficillimum, nam haec, quae attenuant, plerumque motum augent, hinc vero danda sunt ***antiphlogistica***, i. e. quae ***inflammationi*** opposita sunt, φλογώσις enim significat inflammatio, hinc φλογιστικόν inflammatorium, et haec medicamenta attenuant et simul refrigerant.»

In eandem sententiam se vertit ***van Swieten*** (1): «Si in febribus jam simul adsit inflammatio topica, ob sanguinem fluidissima parte orbatum et hinc immeabilem haerentem in ultimis arteriarum angustiis, omnia, quae ***in cura inflammationis laudata sunt***, hinc sunt adhibenda, inprimis nitrum, lupis Prunellae etc., ***quorum vis antiphlogistica*** adeo nota est.» Ex alio autoris nostri loco (2) apparet, eum refrigerantia non aequiparasse antiphlogisticis, sed illis subjecisse, quasi efficerent partem illorum: «refrigerantia medicamenta sunt talia, quae nimii caloris causas tollunt vel minuunt; cum vero calor nimius nascatur ab aucta circulatione et attritu valido solidorum in liquida, et liquidorum in solida in vasis inflammatis, ergo refrigerantia remedia erunt omnia illa, quae densitatem fluidi tollere possunt, etc..... omnia ergo aquosa non tantum proderunt diluendo, sed etiam sunt refrigerantia; ubi ergo spes est, inflammationem resolvi posse, ***basis omnium medicamentorum antiphlogisticorum est aqua frigida.***»

Frid. Ziehm, dissertatiunculae cujusdam autor,

---

(1) Commentarii in Boerhaavii aphorismos, Lugdun. Batav. 1742., 4. t. II. p. 121.

(2) ibid. t. VI. p. 681.

hanc profert (1) sententiam: « *antiphlogistica* ea dicuntur remedia, quae in sensu latiori, quemcunque statum febrilem atque inflammatorium, vel immediate vel mediate mitigare aut plane tollere valent; quae immediate febri aut inflammationi opponuntur remedia, ***proprie antiphlogistica dicenda***, vim morbi infringunt, pulsum febrilem retardant, calorem praeter naturam auctum auferunt ceteraque symptomata febrilia mitigant; quae vero mediate agunt, causas febrium tollunt, quibus igitur etiam adnumeranda sunt ***irritantia et calefacientia.***»

His etiam adnumerandus est ***Tode***, qui universa medicamenta in tres potissimum redegit (2) classes, a) evacuantia, quae humidum aut solidum quoddam e corpore educunt, b) alterantia, quae in solidis aut humidis corporis humani partibus quandam efficiunt commutationem, c) evacuativo — alterantia, quorum effectus duplex est. Remedia vero ***antiphlogistica*** harum nulli adnumerat, (3) sed peculiarem illis inesse vim, inflammationes sanandi.

Maxime vero hic est memorandus ***A. F. Marcus,*** acerrimus inflammationis methodique antiphlogisticae propugnator. Posuit (4) quidem ille, inflammationis atque febris naturam esse eandem, varias inflammationis et febrium species non existere, ***unam*** (5) ***igitur omnibus***

---

(1) Specimen in vires antiphlog. etc. p. 6.

(2) Allgemeine Heilkunde od. Lehre von den Heilungsanzeigen, Kopenhagen 1797, Th. I. p. 15.

(3) ibid. p. 11.

(4) Entwurf einer speciellen Therapie, Nürnberg 1806, Vorrede p. VIII.

(5) ibid. p. 11.

esse medicinam, antiphlogisticam; omnia igitur medicamina, a nitro usque ad moschum eundem habere effectum, nec nisi gradu, inter se differre. — Multis locis idem repetit atque, ut recte intelligatur, addit: (1) minime vero quis putet, methodum antiphlogisticam, quam in omnibus commendavi febribus, esse refrigerantem, non, *contrainflammatoriam dico*; non enim omnia, quae refrigerant, tollunt inflammationem, calor nil nisi sequela inflammationis, quae igitur inflammationem tollunt, imminuunt etiam calorem, non vero contra.

In eandem de natura methodi antiphlogisticae sententiam plurimi quoque abeunt chirurgi, ex quibus unum dico, illorum haud infimum, ***Sam. Cooper***: *antiphlogistica*, ait, (2) omnia ea appellamus remedia, quae inflammationi medentur.

Non dissentit ***Dzondi***: »*exstinguitur*, inquit, (3) *inflammatio methodo sic dicta antiphlogistica*, quae duplex est, quantitativa et qualitativa; utraque denuo aut est directa aut indirecta, quarum quaeque aut systema plasticum, aut nervosum, aut sanguiferum spectat. 1) *Methodus antiphlog. quantitativa* est, a) *directa*, si remediis utitur, partes inflammatas ipsas afficientibus; quae aut agunt in systema plasticum, vel stimulum inflammationis auferendo, vel actionem hujus systematis plane interrumpendo, frigore et arsenico; aut in systema nervosum, vel remediis sedantibus, vel animantibus; aut in systema sanguiferum, vel copiam sanguinis imminuendo,

---

(1) ibid. Th. I. S. 274.

(2) Handbuch der Chirurgie etc. B. I. S. 205.

(3) De inflammat. aphor. p. 57 etc.

vel indolem phlogisticam mitigando. b) ***Indirecta***, quando non pars ipsa inflammata, sed aliae organismi partes afficiuntur, quarum affectio per sympathiam aut antagonismum in parte inflammata salutarem efficit commutationem; denuo aut in systema plasticum, vel excitatione per stimulum, ut rubefacientia, vesicantia etc., vel detractione omnium incitamentorum, alvi laxatione, nutrimentis parcis etc.; aut in systema nervosum, vel amovendo perturbationes, strepitum etc., vel sustentando vigorem nervorum sensibus jucundis, atmosphaera pura etc.; aut in systema sanguiferum, vel removendo sanguinem per derivationem, vel evitando omnia excitantia. 2) ***Methodus antiph. qualitativa***, a) ***directa***, limitando stimulum inflammatorium illumque destruendo, b) ***indirecta***, organismum ita afficiendo et muniendo, ut a contagiis affici prorsus non possit.»

Neque omittendus est quidam **Zimmermann** (non celeberrimus ille), qui, probe perspectum habens, quae incommoda nascantur ex ancipite tam antiphlogisticae methodi apud autores explicatione, anno 1820 dissertationem scripsit, «de methodo antiph. strictius definienda,» in qua hanc profert (1) sententiam: «Causae proximae inflammationis methodus obstat antiph., quae vero multifaria atque quam maxime differentia medicamenta complectitur; alia enim in morbi causam directe agunt, ***quibus solis nomen antiphlogisticorum tribuendum***; alia indirecte, per antagonismum, excitando novum morbum in partibus remotioribus.» Alio quodam loco dicit (2):

---

(1) Diss. de meth, antiph, p. 7.
(2) ibid. p. 17.

«remedia *antiphlogistica sunt, quae causam proximam inflammationis* directe tollunt, et irritationem systematis vasorum, aut removendo stimulum, aut imminuendo irritabilitatem, temperant.» —

Idem sentit *Caspari*: *methodum antiph. seu contrainflammatoriam*, dicit (1), *inflammationi opponimus*; efficit illa imminutionem vis vitalis, in parte inflammata nimis auctae. Sed non semper ex iisdem consistit remediis; est enim duplex, alia, praevalente irritabilitate, alia, praevalente sensibilitate; quamobrem omnia remedia antiph. in duas potissimum classes sunt redigenda, ita quidem, ut sanguinis missiones, nitrum, mercurius iis adnumerentur, quae inflammationibus partium irritabilium adhibentur, narcotica vero sedantia et derivationes iis, quae partibus, sensibilitate eximia praeditis, applicantur.

Unus e gravissimis hujus methodi antiphlogisticae notionis assensor, haud dubie est Schoenlein, uti ex ejus, quas discipulorum unus edidit, praelectionibus apparet. Methodus illa, ait (2), *quae phlogosei adhibetur*, ad illam delendam suppar, ab antiquissimis jam temporibus appellabatur *antiphlogosis*; seriores, cuilibet in irritatione systematis vasculosi adhibitae curandi methodo, hoc nomen indiderunt; nos vero ad primariam redimus significationem. Antiphlogosis ipsa varia est variis in phlogoseos stadiis; indicatio est duplex: a) indicatio causalis, quae postulat abolitionem causarum inflammationis, b) ind. morbi, cui satisfacimus et remediis,

---

(1) Ueber die Entzündung, ihre Folgen etc. in v. Graefes Journal etc. p. 53.

(2) Vorlesungen über Pathologie. Th. I. S. 234.

quae sanguinis nimium impetum restringunt, et iis, quae chemicam, quam ille in inflammatione perpessus est, mutationem tollunt atque illum in integrum restituunt.

§. 4. Enumerantur, qui in secundam classem sunt referendi.

Ab exposita modo methodi antiphlogisticae notione numerus medicorum discedit haud exiguus, qui, inflammationis nullo habito respectu, antiphlogistica conferunt cum refrigerantibus. Cujus prima vestigia luculenta in dissertatione quadam invenimus, a. 1764 a quodam ***Hartig***, praes. Faselio, defensa; verba illius sunt haec (1): «Omnia medicamenta, quod ad effectum, duplicis tantum sunt generis, vel evacuantia, vel alterantia; locum quendam inter alterantia jure sibi vindicant ***refrigerantia***, quae ab aliis etiam ***frigefacientia***, ***temperantia***, ***praecipitantia***, ψυκτικὰ et περιψυκτικὰ et a nonnullis ***hodie antiphlogistica appellantur***«; et alio loco (2): »refrigerantia a ***neotericis nominantur antiphlogistica.***«

In eandem sententiam vergit ***Maxim. Stoll***, quamquam ipse perbene intellexit atque haud semel diserte enuntiavit, vitiosum esse, meram hanc notionem attribuere antiphlogisticis. »***Antiplogisticum***, ait (3), id omnibus appellatur, quod ***vires possidet, febris ignibus contrarias;*** verum hic in diversissimas opiniones excurrunt, si quae ea domandi caloris vi polleat, interroges.» Porro (4): »Ego ***nullum dari remedium*** arbitror, quod ***antiphlo-***

---

(1) diss. de medic. refrig. etc. p. 3.

(2) ibid. p. 13.

(3) ratio med. t. II. p. 72.

(4) ibid. p. 74.

gisticum absque ullo ad certam morbi causam respectu compellari mereatur. Numquid enim venaesectio hominem febre inflammatoria aestuantem, quam sanguinis orgasmus et nimia fibrarum strictura ac irritatio generaverit, insigniter refrigerabit, quem emeticum validius succendisset? Numquid e contrario eadem sanguinis missio, iterata praecipue et largior, efficiet, ut febris altius exardescat, quam acris forte in ventriculo bilis nutrit; nonne hunc emeticum potius refrigerabit, si, quod febrim aluerat, biliosum pabulum aluerit? Nullum propemodum remedium est, quod non aliquando, certo loco, certo tempore certisque in morbi causis refrigeret. *En, quam non sufficiat, methodum antiphlogisticam commendasse*, cujus utpote non eadem est apud omnes notio. En, quam alia sit atque ab se ipsa differens haec methodus, quemadmodum aliae at que aliae fuerint febrilis ardoris causae!« —

Eandem notionem methodo illi etiam tribuit *A. F. Hecker*, »methodus illa, inquit (1), *qua utimur ad corpus refrigerandum*, dicitur temperans, refrigerans, praecipitans, antifebrilis, *antiphlogistica*; de nulla vero methodo omnis aevi medici tam incertis sententiis tantisque erroribus erant correpti, quam de illa; calor auctus symptoma est morborum variorum, varia plane curatione indigentium, nihilo vero minus remedia cujusque generis ad illam minuendam adhibita, antiphlogistica s. refrigerantia appellantur. In omnibus febribus et inflammationibus calor est adauctus, quamquam pro natura sua modo sthenica, modo asthenica, diversam requirunt therapiam; unde factum est, ut alii remediis debilitantibus, alii camphorae, moscho etc.

(1) Handbuch der allgemeinen Heilkunde. 2r. Th. S. 662.

antiphlogisticorum nomen imponerent, nil spectantes, nisi virtutem eorum, aestum imminuendi.«

Ipsam hanc de antiphlogisticorum natura sententiam professus est *Schroeder* (1). «Ea therapiae generalis methodus, qua in universum nimium auctus corporis nostri calor imminuitur, *refrigerans audit, quae antiphlogistica* vulgo nuncupatur, si caloris augmentum cum inflammatione conjunctum sit. Discrimen, quod hic intercedit, haud magni momenti est, partim, *quia in morbis quam plurimis, quibus methodus antiph. medetur, inflammatio vel certe abest*, vel parum ex signis suis cognoscitur.«

Hanc refrigerantis notionem connexuit cum dynamica quadam *Curt. Sprengel:* »methodus, inquit (2), antiph. in calore nimio minuendo ligandoque et in impetu sanguinis cohibendo versatur, quodammodo cum methodo sedante atque cum ipsa humectante et emolliente congruere facile perspicitur. Namque sanguinis nimius impetus exponi nequit, nisi ex inaequabili vis sensiferae, quae per nervos organicos in vasa conducitur, distributione nimiaque ejus vis intentione. Sedantem vero methodum versari generatim diximus in restituenda aequabili vis sensiferae dispensatione; quod cum contingat amotis incitamentis, caloris etiam, incitamentis vulgatissimis accensendi, amotio, sedantis methodi species est. — Itaque haud *uno eodemque modo methodum antiphlogisticam agere* patet: Refrigerat enim primum, qui calorem sensibilem cogit vaporibus formandis inservire;

---

(1) Diss. de meth. refrig. etc. p. 5.

(2) Instit. med. t. VI. p. 163.

quod cum contingit, necessario calor sensu percipiendus minuitur, capacitate aucta; hinc perspiratione cutanea et pulmonali increscente corpus refrigeratur. Dein refrigerat, qui res ingeri et ad corpus applicari jubet, quibus calor vincitur atque ligatur; quod acidis fieri, salibus neutris, frigore demum ipso, notissimum est. Refrigerat, qui incitamenta circuitus minuit et e medio tollit; hinc, si sordes primarum viarum evacuantur, si dolores mitigantur, si animi affectus compescuntur, si victus tota ratio ita instituitur, ut nova incitamenta circuitus gigni nequeant, aestus nimius minuitur.»

Voigtel haec profert: (1) Remedia refrigerantia seu antiphlogistica ea nominantur, quae temperiem corporis et sanguinis minuunt et decrementum calorigenii efficiunt; quum vero talia non inveniantur, quae id directe faciant, ad ea fugiendum est, quae indirecte auctum calorem animalem infringunt, quod fit, a) evitando eas res, quae, dum humores adaugent, simul et calori suppeditant pabulum, b) medicamentis, nimiam irritabilitatem et inde nascentem nimis vivacem organorum actionem cohibentibus, c) adimendo humorum certam quantitatem, d) rebus, quae minore caloris gradu, quam corpus nostrum, praeditae, calorem ejus, e chemicis legibus, in se recipiunt.

§. 5. Enumerantur, qui in tertiam classem sunt referendi.

Quae vero, serioribus potissimum temporibus, maxime valebat apud medicos antiphlogisticorum notio ea est, ut referant illa ad vires vitales; quas quidem alii putaverunt

(1) System der Arzneimittellehre, B. I. S. 325.

in quibusdam morbis ***revera*** esse exorbitantes remediaque antiphlogistica vim exercere ***debilitantem***; alii vero vivaces nimis actiones vis vitalis non ab illius auctu, sed ***a vehementioribus incitamentis*** derivarunt ideoque antiphlogisticam methodum in eo posuerunt, ut ***incitamenta minuantur***. — Primas hujus sententiae lineas, easque praeclare expositas, invenimus in ***Krockeri*** dissertatione: «sanguis, inquit (1), non quiescit, sed continuo movetur; poteris igitur ejus et celeritatem, qua movetur, et impetum, quo gaudet, in considerando illius per vasa motu, respicere; utrumque hujus motus momentum ita in statu, qui a naturali recedit, mutari potest, ut increscat; celeritatem vero motus auctam una cum impetu sanguinis vehementiore, ***orgasmum*** seu ***phlogosin*** appellabimus. Consistit igitur (2) methodus ***antiphlogistica*** in usu remediorum, quae imminuendo orgasmo sanguinis paria sunt, sicuti ***phlogistica methodus*** usu ejusmodi remediorum absolvitur, quae sanguinis motum concitant; maxime vero ***cavendum erit ab eorum sententia, qui methodum antiphlogisticam ad sanguinis celeritatem restringunt***, cum, hac assumta notione, facile fieri queat, ut in febribus, ubi, ne ex virium defectu aeger pereat, praesente licet magna celeritate, methodus phlogistica adhiberi debet, hujus loco antiphlogistica eligatur. Cum autem duplex fere sit orgasticae sanguinis commotionis causa, validior nempe cordis et arteriarum actio, aestus deinde atque fortior sanguinis motus, ***ad duo quoque generalia momenta methodus antiphlog. reduci potest***,

---

(1) **Diss. de meth. antiph. etc. p. 7.**
(2) **ibid. p. 17.**

quorum unum in eo consistit, ut actio solidarum partium imminuatur, alterum vero in eo, ut aestus et motus sanguinis internus consopiatur.»

Hufelandus in hanc abit (1) sententiam: Omnes medendi methodi sic dictae fundamentales, in duas potissimum classes sunt distribuendae, prout in corpore nostro aut dynamicam, aut materialem efficiunt commutationem; quarum utraque triplex esse potest, prout commutatio illa, sive dynamica, sive materialis, aut ad qualitatem, aut ad quantitatem, aut ad alterationem pertinet. His praemissis, ***methodum antiphlogisticam seu debilitantem*** eam appellandam judicat (2), quae dynamicum in organismum exerceat effectum, imminuendo et deprimendo vim vitalem, atque eo quidem, quod non solum actiones vitales (die Lebensäusserungen), sed etiam vim, organismo insitam, qua illae perficiuntur (das Wirkungsvermögen) debilitet, differat a methodo sedativa. Requirit igitur, dicit, methodus antiphlogistica talem rerum, et internarum, et externarum, ad vitam sustentandam necessariarum administrationem, ut verum decrementum virium, organo cuique inditarum, inde nascatur, et ipsae etiam vitae actiones a priori sua fortitudine desciscant. Ratio qua hoc perficimus, duplex est, a) ***directa***, detrahendo ea, quibus vita alitur, inde sanguinis missio, humorum aucta per naturalia organa excretoria evacuatio, caloris imminutio, alimentorum parcitas, salium peculiari quadam vi, cohaesionem et actionem fibrarum debilitandi, instructorum, nec non acidorum vegetabilium, aquae,

---

(1) System der prakt. Heilk. B. I. S. 302.

(2) ibid. S. 354.

blande mucilaginosorum et oleosorum frequens usus, quies denique summa, et corporis, et animi, b) ***indirecta,*** nimis irritando eoque exhauriendo vim vitalem, ingenti labore viriumque intentione, remediis excitantibus.

Reil habet (1) haec: Si in febribus vitae actiones sunt vehementiores, ita ut metuendum sit, ne vires vitales omnino consumantur, tum ***methodus moderans*** est adhibenda, cujus quidem natura duplex. Est enim illa aut a) ***antiphlogistica***, cum febres moderat, ad ordinem synochae pertinentes, in quibus incitabilitas nimia per medicamina debilitantia, non irritantia, mitiganda est, imminuendo validum illum atque abundantem sanguinem, qui organis novum quasi praebet pabulum eoque eorum auget vires; methodus haec frequentem requirit usum balneorum tepidorum, multi potus, acidorum, nitri, eccoproticorum, sanguinis detractionum atque evitationem omnium incitamentorum. Aut b) ***sedativa***, in febribus typhosis, quibus remedia debilitantia non conveniunt, sed nimiam incitabilitatem sedantia, ut balnea, moschus, Valeriana etc.» Methodum antiphlogisticam a revulsoria seu derivatoria plane differre, accuratissime exponit (2).

Horsch (3) eam, quam veteres diathesin ***phlogisticam***, ***mutata*** de inflammationis natura cognitione, appellat ***arterialem; diathesei vero huic*** — quam non solum in febribus et inflammatoriis, sed etiam in nonnullis afebrilibus, quippe quae nimia sanguinis fibrina arteriarumque exorbitante actione excellunt, morbis, adesse

(1) Ueber Erkenntniss und Kur der Fieber Th. I. S. 282.
(2) Entwurf einer allgem. Therapie. S. 94.
(3) Handbuch der allgem. Therapie. S. 347.

censet, ex. c. in lippitudine morbosa, morbis nonnullis psychicis etc, — *antiphlogisticam opponit methodum*, vitiose a nonnullis, ut praeclare monet, contrainflammatoriam appellatam.

Valent. ab Hildenbrand «illa, inquit (1), medendi methodus, quae actiones organismi exorbitantes deprimere valet, dicitur *debilitans*, aliis *refrigerans*, *antisthenica*, veteribus *antiphlogistica* propterea dicta, quod in morbis inflammatoriis, phlogisticis quondam nominatis, usum maximum habent ad febrin pacandam.» Et alio loco (2), «Methodus medendi, quae vires vitales compescere, summam stimulorum minuere, vel et cognitos stimulos enervare, sanguinis phlogisticam crasin emendare, haematopoësin refrenare, talique pacto conflictum dynamicum morbosum in systemate arterioso componere studet, dicitur *debilitans*, *antisthenica*, *sedans*, *aptius antiphlogistica.* Non sufficit enim in morbis inflammatoriis solam virium vitalium exorbitantiam compescere, quod *debilitare* seu *sedare* dicimus; vitiosam simul sanguinis qualitatem emendare, auctamque copiam imminuere oportet, quod, praeter remedia debilitantia, quam maxime illa praestare debebunt, quae vegetationis, ac in specie sanguificationis processum sanguinisque expansionem infringere valent. *Antiphlogistica methodus complectitur:* 1) evacuantia. 2) Emollientia. 3) Attenuantia. 4) Sedantia specifica.»

Berends (3) ait: prima indicatio in frebribus est,

---

(1) Instit. med. pract. t. I. p. 164.

(2) ibid. t. II. p. 206.

(3) Vorlesungen über praktische Arzneiwissenschaft B. II. S. 102.

ut vehementiam actionum totius organismi deprimamus, quod fit debilitantibus; validissimum vero omnium remediorum debilitantium sane est sanguinis detractio, proxime vero ab illa sunt ***antiphlogistica sic dicta***, quibus falso adnumerantur purgantia et emetica. Antiphlogistica vero praestantissima sunt salia, praecipue vero nitrum.

Ex mente ***Wolfarti*** (1) consistit ***methodus antiphlogistica, seu debilitans, s. contrainflammatoria*** in sedandis vehementioribus sanguinis vitae actionibus; explicat quidem eas e polarisatione expansibilitatis et contractibilitatis, quae processus vitales exaggerat, nervorum irritationem, sanguinisque phlogosin progignit. Adnumeranda igitur antiphlogisticis: nutrimenti abstinentia, frigidulorum atque acidulorum potus frequens, evacuationes, praecipue sanguinis, nonnunquam etiam antispasmodica et derivantia, attenuantia et humectantia.

Recessit quodammodo a vulgari illa de debilitante antiphlogisticorum natura sententia ***Bartels.*** Sagacissime monet (2): quaecunque medendi methodus, ut vere fundamentalis appelletur, fundamentali alicui indicationi, e physiologico — pathologicis praeceptis haustae, respondere oportet. Quo nisus principio, octo methodos medendi fundamentales ponendas esse censet, cum totidem sint indicationes fundamentales therapenticae, nimirum 1) energia organismi aut est imminuenda, 2) aut augenda; 3) receptivitas organica aut est deminuenda, 4) aut augenda; 5) organismus est plane quasi immutandus, 6) virium abnormes conditiones sunt exaequandae; 7) pro-

---

(1) Nosologische Therapie, 1r. B. S. 487.

(2) Lehrbuch der allgem. Therapie. S. 101.

ductio organica aut est augenda, 8) aut exhaurienda. Quae vero primae illi indicationi fundamentali respondet, est (1) *methodus debilitans seu antisthenica;* hanc vero ipsam denuo tripartitam putat, prout aut a) systema arteriosum est debilitandum, atque haec peculiaris est *methodus antiphlogistica* i. e. vasorum actionem imminuens (aderschwächend), quae ne confundatur cum methodo contrainflammatoria sapienter monet(2); aut b) fibrarum tonus est relexandus i. e. meth. antitonica, aut c) nervi sunt debilitandi i. e. meth. enervans. —

Dissertatiunculae cujusdam autor **Boehr**, *methodum, inquit* (3), *antiphlogisticam in auxilium vocamus, si organismus viribus vitalibus abundat....* Si haec virium vitalium abundantia individualis lentius procreatur, indolem ad morbos hypersthenicos profert, i. e. sanguis, magna assimilandi facultate instructus, plus materiae e nutrimentis sumit, qua de re *plethora* oritur; si vero haec virium vitalium abundantia individualis citius formatur, *congestio activa* i. e. impetu sanguinis ad aliquod organon accumulatione virium vitalium, porro febris inflammatoria et inflammatio activa gignitur; *omnibus his affectionibus objicimus methodum antiphlogisticam.*«

Siebergundi, medicamina antiphlogistica omnia ea appellat (4), quae nimias systematis irritabilis actiones deprimunt. Aucta vero haec irritabilitas, aut a) in musculis, voluntati nostrae subditis, sedem suam habet, et fibrarum rigiditate cognoscitur; in hoc morbi statu *anti-*

(1) ibid. S. 105.
(2) ibid. S. 106.
(3) Diss. de meth. antiph. p. 5.
(4) Grundriss d. generellen Therapie. S. 111.

phlogistica ea sunt, quae relaxant, ut balnea, cataplasmata ptisanae etc.; aut b) in iis, qui nostrae voluntati non obediunt, quibus ***tum dicimus antiphlogistica adhiberi,*** 1) si materiae organicae, praecipue sanguinis, adimitur, 2) si remediis utimur, quae vi sua peculiari, quasi neutralisando, irritabilitatem obhebetant, ut salia. —

Nasse, methodi antiphlogisticae nomine omnia ea comprehendenda censet (1) remedia, quae viribus nimis excitatis adhibentur; excitatio vero illa morbosa aut apparet sub symptomatibus abundantiae vel qualitatis abnormis sanguinis, nec non irritationis vasorum, nullis signis valde auctae nervorum sensibilitatis intermixtis; aut sub symptomatibus nimiae sensibilitatis, sanguinis vasorumque natura parum vel omnino non immutata. Uterque morbi status antiphlogistica quidem requirit remedia, sed non ambo eadem; priori illi conveniunt humorum evacuationes abundantisque eorum conformationis impeditio, alteriori vero sedativa, sensibilitatem deprimentia.

Suringar, antiphlogistica ea appellat (2), quae irritationi generis vasculosi opponuntur, »appellantur (3) etiam refrigerantia s. temperantia, quia idonea sunt tollendae causae, qua calor corporis adeoque ipsa vis vitae praeter naturam augetur.«

Car. Hartmann ita sentit (4): »Remedia, quae sanguinis et systematis sanguiferi vitam in reliqui corporis detrimentum exsuperantem, temperant, ***dntiphlogistica*** ab omnis aevi medicis vocata sunt.... Cum vero du-

(1) Handbuch der speciellen Therapie, B. 1. S. 45. —
(2) Epitome therapiae generalis, p. 46.
(3) ibid. p. 47.
(4) Pharmacologia dynam. p. 250.

plicem hujus excessus sanguinis et systematis vasorum modum agnoscimus, quorum alterum, qui veram vitae in sanguine ejusque vasis intentionem supponit — ***statum phlogisticum;*** alterum vero, qui ejusdem vitae majorem quidem alacritatem, sed minorem simul vim internam enunciat, simplicem ***erethismum*** adpellamus; ... duplicem etiam esse remediorum, vitam in systemate sanguifero exorbitantem moderantium seriem, facile intelligitur, cum nimirum alia requiruntur, quae veram diathesin phlogisticam exstinguant, ***antiphlogistica in sensu strictiore,*** et alia, quae simplicem ejusdem systematis erethismum componant, ***antiphlogistica tonica*** s. refrigerantia tonica.« —

J. B. Bischoff exorbitantes vires, ait (1), validis nimis vitae actionibus perspicuae, sunt deprimendae, ut et harum vehementia coerceatur. Quod vero complectimur nomine ***methodi antiphlogisticae,*** parum quidem apto, a plerisque tamen recepto; illa quidem efficit, ut tumultus sanguinis internus moderetur, impetus ejus in vasa cohibeatur, fibrarum rigiditas relaxetur, motus vehementia sedetur, humorum lentor attenuetur, secretiones et excretiones augeantur, unde 1) sanguinis detractiones, 2) emollientia, 3) refrigerantia et attenuantia, 4) purgantia, 5) diaphoretica, 6) diuretica.

Denique est alliganda ***Puchelti*** sententia (2), ***varias de methodo antiphlogistica notiones uniendi conantis;*** ait quidem ille (2): methodus antiphlogistica ea est, quae inservit sanguinis motui imminuendo; appellatur

---

(1) Grundsätze zur Erkenntniss etc. S. 111.

(2) System der Medizin, Th. 1. S. 385.

vero illa refrigerans, quia una cum sanguinis motu caloris etiam gradus imminuitur; contrainflammatoria, quia in inflammationibus saepe in usum vocatur; praecipitans s. temperans, quia omnino excedentes actiones deprimit.

§. 6. Quaedam de sententiarum varietate.

Hucusque in eo sumus versati, ut praestantissimorum, quae de methodi antiphlogisticae notione viri docti tulerunt singula judicia in medium proferamus, atque chronologico quodam ordine; nihil consulto intersparsimus, quod hic illic notandum habuissemus, ut eo expeditius possit perspici, quales sint sententiarum differentiae! Cum vero totius medicinae cardo in eo vertatur, ut practico usui studeamus, facile quisquam interroget: num operae sit pretium, longius in hac theoretica disquisitione commorari; dummodo omnes iisdem illam adhibeant morbis eademque illi adnumerent remedia! Verum enim vero, ne in illis quidem, mere practicis, concordant autores! Dum alii sensu latissimo Chinam, Camphoram, Moschum, Opium, Cantharides etc. illi adnumerent, alii tam arctis illam muniunt finibus, ut ipsam venaesectionem excludant. — Summa inde apparet necessitas, priusquam in nostra ulterius progrediamur disputatione, notionem illius methodi accuratius atque firmius sistendi, singulas illas sententias perlustrando, in dissensionum causas indagando et eam eligendo, quae et practico usui est accommodatissima, et longo usu sancita.

Supra jam posuimus, atque illis, quae allegavimus, autorum effatis satis confirmasse speramus, opiniones illas, quantumvis diversas, in tres potissimum classes posse distribui; quae vero, si rem accuratius intuemur, minus

ex sententiarum de morbosarum affectionum, illa exigentium, genere, quam de modo, quo illorum effectus sint explicandi, oriuntur varietate. — Qui nomine antiphlogisticorum remedia contrainflammatoria comprehendunt, illa *certo cuidam morbo*, inflammationi nempe, opponunt, nihil omnino curantes, *quomodo* hunc suum exerceant effectum; contra ii, quibus illa sunt refrigerantia, *molestum aliquod symptoma*, quolibet in morbo accidat, illis oppugnandum putant; ii denique, qui debilitantia illa appellant, non nisi *certam organismi* spectant *conditionem*, quae tam variis morbis subesse, quam variis symptomatibus se prodere potest. Haec sententiarum discrepantia praecipue, ni plane fallimur, ex *incertis atque dubiis de medendi methodis in genere* profecta est definitionibus. Habent scriptores methodum antigastricam, sudoriferam, antisepticam, resolventem, antispasmodicam, irritantem etc.; omnes appellantur methodi, sed quaenam illis intercedit similitudo? quid est, quod habeant commune, ut omnibus idem *methodi* nomen tribuatur? Nonne saepissime meth. antigastrica est antispasmodica, irritans est antiseptica etc., dum e contrario sunt methodi, quae modo haec, modo illa comprehendant remedia, ut ex. c. meth. sudorifera, quae modo cum methodo debilitante, modo cum irritante congruit? Accuratius igitur distinguamus necesse est methodos in eas, quae singulis morborum speciebus opponuntur; in alias, quae phaenomena quaedam morbosa, aut tamen morbum minitantia tollunt; denique in eas, quae peculiarem quandam atque certam virium aut systematis alicujus organismi commutationem valent efficere. Hac neglecta distinctione fieri non potuit, quin nonnunquam, quam eo-

dem significarunt vocabulo methodum, plane diverso intellexerint scriptores sensu; atque hoc ipsum cum methodo antiphlogistica accidisse veri est simillimum.

§. 7. Perstringitur sententia eorum, qui methodum antiphlogisticam appellant contrainflammatoriam.

Num specifica talis methodus, inflammationi opposita, existat aut existere possit, valde est dubitandum, cum omnino perpauci inveniantur morbi, quos specificis methodis sanare valeamus. Plerumque in eo conquiescamus necesse est, ut praestantiora singula symptomata auferantur atque prohibeatur, quominus vis vitalis aut exorbitanti vehementia aut nimio torpore organismum deperdat. Quod ad inflammationis curam, variae exstant sententiae, quae vero tam arcte cum theorematibus de illius natura conjunctae sunt, ut nihil de illis disserere potuerimus, nisi de his quaedam praemiserimus.

Inflammationis mentio jam fit in antiquissimis, quae ad nos pervenerunt, medicinae scriptis, nec ullum erat tempus, aut medicinae systema, quod illi non primum inter morbos concessisset locum; omnes etiam in eo convenere, quod illam semper comitetur auctus sanguinis affluxus ad partem inflammatam; de proxima vero illius causa ac de vera indole valde dissentiebant.

Quantumvis fuerint variae inflammationis theoriae, duae tamen potissimum sunt de ***proxima illius causa*** opiniones, quibus omnes illae sunt superstructae; omnes enim aut a vasorum ***mutata actione*** aut a ***sanguinis abnormi crasi*** illam deduxerunt, morbi phaeno-

mena, pro peculiaribus suis in pathologia commentis, varie explicantes.

Hippocrates, qui definitionibus construendis atque causis morborum subtiliter eruendis nullum navavit operam, in inflammatione, quo praecipue eminet symptomate, conspexit ***ruborem***, normalem superantem, quem, cum plerumque subito existat una cum partium intumescentia, non commodius explicandum putavit, quam aucta sanguinis copia, partem illam implente. In calore aucto explicando non minus erat facilis; calorem, quem una cum vita perdurare intellexit, animali cuique esse innatum duxit, sedemque illi in sanguine tribuit, quare partem quamque, ex inflammatione sanguine abundantem magis etiam incalescere mirum videri non potuit. ***Inflammatio*** igitur, secundum Hippocratis sententiam, ***inde nascitur, quod pars quaedam sanguine nimis repleatur atque inde calor increscat.*** Ab hac de morbo illo opinione, descriptioni magis, quam explicationi simili, medici, qui illum sequebantur, parum recesserunt, variabant vero quodammodo, ex. c. ***Erasistratus***, qui ex commentis suis de arteriis, pneuma continentibus, posuit, affluxu sanguinis in arterias pneuma perturbari atque inde oriri inflammationem. Porro ***Methodici***, qui ex Epicuri philosophia corpusculari omnes morbos atque etiam inflammationem a vitiosa atomorum inter se proportione ducebant.

Cum ***Galeno*** nova exstitit inflammationis historiae epocha; consentit quidem cum prioribus in eo, quod de largiori sanguinis affluxu protulerant, sed et ipsum sanguinem ***qualitate sua*** putat esse immutatum atque abire

in putredinem. Rapuerat Galenum in hanc sententiam nimia, quam calori in morbis generandis tribuerat, gravitas. Omnium morbosarum affectionum causa atque origo est in intemperie, atque differunt illae solummodo pro varietate systematis organici, quod occupatur; si vero ***humores*** corripiuntur, ut in inflammatione, illorum existit corruptio quaedam, quam appellat ***putredinem.***

Post Galenum omnes fere autores usque ad medium seculum octingentesimum, ubi dyamicae magis de inflammationis natura surrexerunt sententiae, sanguinis abnormem qualitatem in illo morbo statuerunt; nec solum ii, qui caeci vestigia illius sunt persecuti, medii aevi medici, sed etiam praestantiores et novarum scholarum conditores.

In duos solummodo offendimus viros, qui huic opinioni, ut cuilibet, a pathologia humorali natae, se opposuerunt, ***Paracelsum*** et ***Helmontium***; uterque vehementissime in eos invehebantur, qui inflammationi corruptum sanguinem supponebant; ***Helmontius*** etiam usque eo processit, ut omnem omnino materialem in illa commutationem negaret, et phaenomena inflammatoria ei non morbus ipse, sed dynamici solummodo effectus morbi cujusdam interni viderentur. — Explicatio haec, jam per se satis praerupta vulgari intellectui, ac praecipue illius temporis medicis, chemiae recens excultae omnino addictis, quae placeret, parum apta, modo in oblivionem venit, cum ***Franciscus de le Boe Sylvius*** suam, cum omnium applausu, doceret medicinae theoriam. Complectitur illa farraginem praeceptorum chemicorum atque mechanicorum, imaginaria magis, quam ex factis hausta. Quid de inflammatione senserit, his fere verbis

expressit (1): »Arbitror autem incendi ac inflammationes parere sanguinem, quatenus ex ipso, in vasis suis valde distinctis partibusve quibusvis aliis subsistente, h. e. stagnante, mox evanescere incipiunt partes spirituosae magisque volatiles ac subtiles, tum acidas, tum salinas temperare solitae; inde utraeque acriores factae acrius in se mutuo insurgunt effervescentiamque ob partes sanguinis oleosas praesentes calidam excitant, quin paulatim sanguinem ita corrumpunt, ut in pus vertatur.« — Similia sunt ceterorum de inflammationis natura chemistarum commenta, inter quos *Ettmuellerum* tantum commemoremus, qui, quod experimentis institutis facile potuisset refutari, ausus est contendere, oriri inflammationem ex acido quodam, in sanguine liberato et cum ejus alcali effervescente.

A vanis his figmentis, non tantum medicinam obscurantibus, sed in therapiam potissimum perniciosa inferentibus praecepta, emaculavit eam, qui semper inter clarissimos nominabitur medicos, *Thomas Sydenham.* Verum quidem, neque ille in inflammationis natura cognoscenda propius ad veritatem accessit, nec accedere potuit, propter exiguam physiologiae notitiam; sed contigit ei, quod praestantioribus practicis omnis aevi contingere solebat: construunt morborum theorias, falsas quidem, sed curationi, vere salubri ac probatae, accommodatas. Ut ex multis operum ejus locis apparet, particulas spirituosas, quas sanguini inhaerere putavit, in inflammatione, flammae instar, incendi statuit, unde calor auctus, sanguinis ebullitio ceteraque symptomata, inflammationi

---

(1) Prax. medic. lib. I. cap. XL, 15.

peculiaria; minime ergo convenientia existimavit sudorifera, a prioribus laudata, utpote quae sanguinis augeant aestum, sed omnium maxime sunt commendanda ***Venaesectio***, quae illum una cum particulis inflammatis minuit, et ***refrigerantia***, incensas illas quasi exstinguentia.

Accedimus nunc ad eum, qui in doctrina de inflammatione multum meruit; non modo novam prioribus addendo hypothesin, sed etiam, quod ante eum nemo fecerat, substruendo ei principia, anatomicis disquisitionibus ac physiologicis experimentis inventa, dico ***Boerhavium.*** Posuisse ille vulgo dicitur inflammationis indolem ac proximam causam in ***errore quodam loci*** i. e. in transitu sanguinis in vasa, alias aut nullis, aut albidis impleta humoribus; nobis tamen, Boerhavii scriptis lectis ac relectis, res non plane ita se habere vi: detur. Errorem loci non nisi secundo loco atque tanquam effectum inflammationis apud illum invenimus, cujus praesertim in therapia ne ullam habuit rationem. Leeuwenhoeckiana experimenta miscroscopica, quibus accesserunt Ruyschianae ingeniosissimae vasorum injectiones, fabulas priorum atque somnia de partibus, sanguinem constituentibus, admodum disturbaverant; in locum partium ignearum, spirituosarum, salium, acidorum etc. quae nemo unquam viderat, sed quisque pro libito sibi finxerat, nunc de globulis seroque sanguinis, oculis facillime perspicuis, erat sermo. Boerhavii inventorum, et propriorum feracissimum, et aliorum medicinae adaptandorum studiosissimum ingenium, novam hanc doctrinam toto animo amplectens, ad inflammationis phaenomena explicanda, ardentius forsan, adhibuit. Remotam inflammationis causam a stimulis deduxit, cordis actionem sanguinis-

que circuitum accelerantibus; humoribus ita nimis vehementer circumactis, major fit globulorum in se attritus (1), quem ex physicis principiis (2) caloris sequitur gradus, naturalem corporis nostri excedens; qui, partes tenuiores evaporando, sanguinem inspissat, unde massae (3) in eo nascuntur crassiores atque tenaces, ***lentor phlogisticus*** aut ***inflammatorium spissum***, ab illo appellatae; interim a tergo vis cordis sequitur sanguinemque urget; hic vero non potest vasa minora permeare propter molem globulorum, partim igitur haerescit, in latera vasis impactus, unde fit obstructio, partim in minores dissilit moleculas [globulos enim in infinitum scissiles putavit (4)], et humorum accelerato motu in vascula rapiuntur, alioquin illis non permeabilia, quod ***errorem loci*** appellat. Huic inflammationis theoriae superstruxit Boerhavius methodum suam illi medendi; errorem quidem loci, ut merum effectum et, causa ablata, ultro desinentem, nihil curavit, sed in sanguinis cruorem, in ***phlogisticum illud spissum***, symptomatum omnium fontem atque motorem, armamentarium suum direxit medicum; adhibita illa, quae inde nomen tulit, ***methodo antiphlogistica***. —

Mechanicis his atque chemicis de inflammationis natura commentis longe addicti erant medici, ***Gortero*** excepto, qui primus, quod jam innuerat Helmontius, non sanguinem, sed ***vim vitalem*** inflammationis arguit cau-

---

(1) Praxis medica etc. I. p. 219.

(2) Element. Chemiae I. p. 176; praelect. Academ. ed. Haller. V. 28.

(3) Tractat. de virib. medic. p. 34, 44.

(4) Halleri elem. physiol. I. p. 114; II. p. 64.

sam, quae quidem, cum omnibus insit partibus, in stimulos, organismo admotos, eo reagit, quod augeat actiones vitales, circulumque sanguinis acceleret ideoque commoveat inflammationem. Eodem tempore ***Friderici Hoffmanni*** de spiritibus animalibus doctrina multos in medicina movit tumultus, ***Stahlii*** animae theoria bonas tulit fruges, ***Hallerus*** suam docuit irritabilitatem, ***Gaubius*** pathologiae principiis multa intexuit e mente Gorteri; in Anglia paullo post construebantur systemata medicinae, mere dynamica; physiologorum experimenta accuratiora quaestionesque microscopicae in inflammatione ostenderunt globulorum formam atque molem non mutatam, motum vero acceleratum. Minime igitur subit mirari, quod circa finem seculi decimi octavi pristinam de inflammatione theoriam, e pathologia humorali haustam, modo non oblivioni traditam inveniamus, eam vero praevalentem, consistere morbum illum in partis inflammatae, praecipue vero vasorum capillarium, vita validiore, actionum incremento, indeque aucto materiei organicae affluxu, omniaque phaenomena inflammationis non ex partium mutata qualitate, sed exorbitante virium quantitate oriri (***Bichat***, ***Kreyssig***). — Haec inflammationis theoria valde erat periculosa, potuit enim perfacile ad magnum morborum numerum applicari, proprie non inflammatoriorum; unde innumerae confusiones in morborum classificatione grandiaque vitia in eorum curatione fere erant inevitabilia. Nec defuerunt; illi enim ortum suum debebant theoriae, quae medicinae summa minabantur damna, ***F. A. Marci*** in Germania, ***Broussaei*** in Gallia.—

Hinc necessitas imposita est pathologis, experimentis magis atque investigationibus physiologicis, quam inra-

ginationi, in inflammationis natura definienda, indulgendi; nec sterilis illorum erat opera, quamvis minime jam ad calcem pervenisse credamus. Eorum vero, quae industria sua invenerunt viri insignes, summa est: inflammationem non esse auctam vis vitalis actionem (1), sed imminutionem, aut tamen talem alienationem, ut processibus organicis obesset; abundat quidem sanguis albumine et fibrina, sed non, uti normaliter fieri solet, ejus sunt qualitatis, quae partium diversitati sit accommodata, ut nutritioni eorum inserviat; cruda potius atque non assimilata illis inseruntur (2), eadem semper, ac propterea massis inorganicis, quam materiei plasticae, similiora.

Restat adhuc sententiam afferre, quam pathologorum nostri aevi e celeberrimis unus, de inflammatione tulit. Dum in Gallia omnium mentes, Broussaei placitis repletae, in quolibet morbo, cujusque sit indolis, inflammationem conspicerent, ***Andral*** omnino eam e nosologiae systematibus eliminandam censebat, contendens (3), peculiarem morbum, cui hoc nomen attribuamus, non existere, sed turbam esse symptomatum, modo huic, modo illi aegritudinum generi adnumerandorum.

Ignoscat nobis Lector benevolentissimus parvam, quam fecimus, digressionem in historiam inflammationis; quae, quamvis sit manca, necessaria tamen videbatur ad methodi antiphlogisticae notionem distinctius definiendam. Etenim, aut adstipulamur eorum sententiae, qui illam synonymam putant cum contrainflammatoria, tum sane ope-

---

(1) Joh. Mueller's Handbuch der Physiologie p. 62, 218.

(2) ib. p. 345.

(3) Andral, Grundriss der pathol. Anatomie, übers. v. Becker, passim.

rae pretium erat, in naturam morbi ejus, cui illam adhibemus, altius quodammodo inquirere; aut ab illis dissentimus, tum, si non argumenta pronuntiationis nostrae ex theoriarum morbi historia petenda sunt, sententia tamen nostra ab hac confirmetur necesse est. Et sane confirmatur! nisi omnino fallimur. Non quidem eo, quod omnino ***variae fuerint inflammationis theoriae***, minime! De syphilide etiam variae exstiterunt, et tamen methodum habemus antisyphiliticam, quae optime in hoc nomen meretur! Sed, quoniam ***una cum inflammationis theoriis rationes etiam illam curandi mutarentur***, quoniam Galenistae illi frigefacientia, Sylviani absorbentia, Boerhaviani phlogisticum spissum resolventia etc. adhiberent; inde concludere licet, non existere methodum quandam contrainflammatoriam, temporum experientia probatam, sed variam esse atque multimodam, modo haec, modo illa medicamenta amplectentem. —

Sed mittamus theoretica, interrogemus ***practicos***, num habeant talem methodum, quam omnibus omnis generis inflammationibus applicent, hoc enim si negent, negemus etiam necesse est, dari certum gregem remediorum contrainflammatoriorum, sub nomine methodi autiphlogisticae uniendorum. At sane, ***se non habere*** profiteantur haud dubie practici, et curam instituere inflammationis pro varia illius indole, modo his, modo aliis remediis. — Quamnam ob aliam causam, nisi ob therapiae varietatem, a nosologis facta est inflammationis disjunctio in erethicam et torpidam, sthenicam et asthenicam, activam et passivam? Minime quidem nos latet, distinctionem illam a nonnullis neotericis rejectam esse; inflammatio, dicunt, nunquam est asthenica; offendi vero potest in parte

quadam asthenica; sed quid de verbis certare? Practicum juvat, illam distinctionem fecisse, et, utut explicetur, retinebitur tamen! Pneumoniam esse pulmonum inflammationem inter omnes constat, an vero propterea methodus quaedam certa invenitur, illam curandi? nonne potius pro vario morbi charactere varia esse debet? Sunt pneumoniae, in quibus Venaesectionem vel sexies repetamus, hirudines applicemus, salia porrigamus sic dicta debilitantia, nihilque omittamus, quocunque vitam deprimere valeamus; sunt, quas oppugnemus emeticis, purgantibus, acidis etc. a Stollio tum praeclare descriptae; sunt denique, in quibus vitam sustentare nequimus, nisi validissimis exhibitis excitantibus, Arnica, Senega, Benzoë, Ammonii praeparatis etc. Ergone omnia illa remedia, diversissimis viribus praedita, quia ad eundem ea collineamus scopum, ad inflammationem licet exstinguendam, in eodem veluti fasce sunt recipienda, nomine methodi antiphlogisticae designando? Inde, ut nostra fert opinio, medicinae non solum emolumentum nullum, quin etiam damna haud exigua exoriantur. Finis enim virorum doctorum, cum in therapia generali de variis medendi methodis tractandum statuerunt, alius esse non potuit, quam, ut, tam medicaminum secundum suos in certas affectiones morbosas effectus nascatur classificatio quaedam, per quam supersedeamus, singulatim illa, in morborum curationibus praecipiendis, iterum atque iterum recolere, quam ex ipsis nominibus, quibus singulae insigniantur methodi, ratio, qua in organismum agant, appareat. Neutrum vero assequimur, si illam, quam respuendam putamus, notionem methodo antiphlogisticae attribuimus. Quam varia saepissime sunt inflammationis ejusdem organi, pro

varia inflammationis natura, praecepta therapeutica! Dum in ***ophthalmiis rheumaticis*** sanguinis missiones instituimus haud parcas, nihilque tam anxie ab aegrotis arcemus, quam frigidos liquores; in ***scrofulosis*** ophthalmiis tanquam optimo remedio ipsis his utimur fomentationibus madidis frigidissimis, sanguinis vero detractiones quam maxime fugimus; in ***catarrhalibus*** utrumque evitamus; in ***traumaticis*** utrumque adhihemus; atque tamen omnes sunt ***inflammationes*** et quidem ***ejusdem partis*** organismi! ***Erysipelas*** et ***phlegmone***, utrumque cutis inflammationes (in subtiliores inquirendi distinctiones hic non locus est), et quam varia eis curatio; ***illi*** nullus medicus peritus aliud quid applicat, nisi lintea tepefacta, omnia vero amovet humida et frigida, ***huic*** succurrit hirudinibus et fomentationibus frigidis. Permulta his adjicere possimus exempla, ex quibus idem, quod hucusque probare in animo erat, appareat, non esse methodum quandam inflammationibus curandis communem, ideoque praepostere agere, qui ***Antiphlogoseos*** nomine appellari velit, quod revera non existat; sed haec sufficiant, cum ad aliud quoddam argumentum nos convertere oportet, quod nostram suffulciat opinionem: haurimus vero illud ex eo, qui in toto orbe medico dominatur, usu loquendi.

In ***hypertrophia cordis***, ubi arteriarum pulsus sunt vehementes, pleni, fortes, respiratio difficilis et anxia, facies turgescens rubore, nemo est, qui non commendet methodum antiphlogisticam; at, morbus ille quid habet inflammatorii? Major adhuc laus est methodi antiphlogisticae in ***morbis exanthematicis***, quamquam illos pro meris cutis inflammationibus habere, quod quidem

temere nonnulli statuerunt, nemo facile comprobabit, qui specificam illorum naturam recte consideraverit. Imo in ***hydrophobia***, ***tetano***, ***tussi convulsiva*** et sexcentis aliis morbis, qui inflammationem ne redolent quidem, sermo erat de methodo antiphlogistica; num jure, de hoc nunc non disputandum, id vero, sine ulla dubitatione, elucet, non semper medicos methodi antiphlogisticae nomine eam comprehendisse, qua inflammationes curentur.

Pertinacis igitur esset atque duri admodum ingenii persistere in illa, quae majorum menti obhaerebat, definitione nihilique putare, quod temporum successu plane ab illa recesserimus, ***eidem vocabulo*** alium suppeditantes ***sensum.*** Caveamus igitur, ne sermonem medicum satis jam, ut Reil (1) rectissime monet, verborum ambiguitate definitionumque vacillatione laborantem, magis adhuc confundamus, aboleamus illam, animis nonnullorum adhuc infixam, cogitationem, methodum antiphlogisticam eam appellari, qua inflammationibus medemur, quippe quae tironum obturbet mentes, illosque in morbis curandis in periculosos inducat errores. — Pergamus vero in illustrandis reliquis, quae de methodo antiphlogistica prolatae sunt opiniones, donec nobis contingat, talem invenire, quae notionem illi tribuat, generalius quodammodo statum morbosum, cui illa auxiliatur, designantem, sive ille occurrit in vera quadam inflammatione, sive non.

§. 8. Refutantur, qui methodum antiphlogisticam nominant refrigerantem.

Alia, quam pronuntiatam invenimus ab autoribus non

---

(1) Entwurf einer allgemeinen Therapie p. 207.

paucis, iisque insignibus, notio methodi antiphlogisticae est: minuere calorem exorbitantem ac plane congruere cum *frigefaciente*; accuratius quodammodo illam examinemus.

Ex quo medicina coepta est, in artis formam redigi, omnes, qui illi operam suam navarunt, multum, et in morborum phaenomenis explicandis, et in eis, quae illis aut augendis, aut imminuendis paria sunt, recensendis, calori tribuerunt. ***Hippocrates*** febrem appellabat πῦρ, πυρετός, ut omnino princeps hic medicorum, omnium temporum exemplar atque dux, quam alienissimus esset ab omni theoriarum studio, et naturae contemplandae totum adhiberet animum, Empedoclis tamen elementorum commentis imbutus fuisse ex suis, quae ad nos pervenerunt, scriptis, luculenter satis perspicitur. — Exstitit ***Galenus***, illius commentator dignissimus, cujus ingenio amplo speculationumque uberrimo non sat erat nosse, caloris augmentum esse in morbis, nisi, *unde oriatur*, etiam explorasset. Sed organicorum processuum plane ignarus, quippe cum *physiologia* ejus nil esset, nisi eorum, quae in rebus, vita carentibus, animadvertebantur, in organismum translatio, calorem illum in morbis auctum cum calore in plantis et cadaveribus putrescentibus contulit, similemque *humorum putredinem* illi supposuit.

Galeni infinitam auctoritatem atque simul caloris explicandi commenta subvertit ***Paracelsus***, chemiae verus genitor; quod ille ex phaenomenis in rebus, pristina sua vita privatis, explicare studuerat, hic ex *materiis anorganicis*, corpus inhabitantibus atque in eo eadem, qua extra illud, ratione agere pergentibus, deduxit. Opinio haec, quamquam a veritate multum abfuit, medicinae ta-

men haud exiguos tulit fructus, novam aperiendo investigationum viam ac vetusta de putredine humorum coërcenda, extinguendo figmenta. Largius illam excoluit et actionibus vitalibus magis accommodavit ***Helmontius***, cujus de caloris in morbis momento edicta, utinam aetas posterior minus neglexisset. »Non materia peccans, ait(1) in febre calet supra, aut praeter gradum naturae; sed illud, quod in corde accenditur, non erat accensum ante accessum febris ideoque omni modo differt a materia peccante in febribus. Tandem et hinc apte concluditur, quod quicunque ***intendunt perimere febrim per refrigerantia, ut talia, non intendunt sanare per causarum ablationem***, per radicum succisionem evulsionemque fontis atque fomitis febrilis, sed duntaxat intendunt auferre et corrigere calorem, qui est ***quoddam productum***, posterius hospitatum extra materiam febrilem«.

Sed perierunt praeclara illius effata, a paucis intellecta, a nemine fere observata, cum ***Sylvius*** systema suum medicinae, ex humorali pathologia et chemicis principiis compositum, summo cum applausu doceret. Calorem febrilem ille produci existimavit (2) a ***bile acriori*** vel pinguiori, in tenui intestino cum succo pancreatico, et in cordis ventriculo dextro cum lympha acidiore, affluente a conglobatis glandulis, effervescente, unde plures erumpant ***particulae igneae***; totus igitur caloris imminuendi cardo illi in eo vertebatur, ut effer-

(1) Opuscul. medic. inaudita. Francofurt. 1682. 4. De feb. Cap. I. No. 17.

(2) Opp. med. Trajecti 1695, 4, Prax. med. lib. I. C. XXIX. 18—19.

vescentia nimia sanguinis compescatur, temperando acidum vel salsum liquidum in humoribus.

Commenticiae huic effervescentiae fortiter renitebantur ***Jatromathematici***; ut omnia organismi phaenomena e ***partium motu***, sic et calorem ex particularum sanguinis inter se attritu et frictione interpretabantur illumque tollendum censebant remediis, quae sanguinis moleculas dividere aut, magna diluentium copia, illarum aciem minuere valeant. —

Novam deinde lucem, et toti arti chemicae, et caloris doctrinae attulit ***Stahl***, omnibus rebus, quae incendi possunt, materiam quandam tribuens, quam *φλογιστὸν* appellavit, atque caloris phaenomena, ubicunque occurrant, ex hujus ipsius phlogisti e corporibus exitu deducens. Quin immo in illam, quam sexaginta annos post Priestley detexit ***sanguinis in pulmonibus***, accedente aëre atmosphaerico, factam commutationem, jam innuisse nobis videtur vir celeberrimus e loco quodam in scriptis ejus obvio, quem, cum a physiologis et chemicis plane neglectum invenimus, hic allegare non dubitamus: « ad motum pulmonum, ait (1), universum aër non formaliter tantum, sed etiam materialiter conferre videtur; certum interim est, quod illud, quidquid tandem est, nec adeo multum, nec adeo crassum esse possit, interim neque etiam a reliqua vera indole aëris atmosphaerici alienum, longe vero simplicissimum φλογιστὸν quoddam principium, quamvis de hoc etiam non minoris ponderis dubitationes, quam adsertiones sese offerant. » —

Rebus ita comparatis ac praeparatis, haud erat dif-

(1) Theoria med. vera, ed. Junker, Halae 1737, 4. p. 313.

ficile, recentiorum excogitare de caloris natura placita, quibus nostra nititur, mutatis mutandis, *chemia antiphlogistica.* Jam oblivioni tradebantur de caloris ortu in morbis ex corruptis humoribus pristina somnia atque inde natae falsae in morbis curandis indicationes; perspexerunt medici magnam in illo generando respirationis circulique sanguinis gravitatem. In nostris denique temporibus ad eam, quae unica vera est, pervenimus intelligentiam, calorem animalem, et normalem, et morbosum, recte explicari non posse, nisi ad *nervorum actiones processusque organicos* confugiamus.

Quantumvis vero dissenserint viri docti de caloris in morbis aucti *natura*, ad unum omnes, nisi Helmontium excipiamus, illi prae ceteris, tanquam *symptomati gravissimo* et maximum periculum minitanti, suos adhibuerunt animos; in eo tamen maximae sententiarum erant controversiae, *quomodo* caloris imminutio sit instituenda, unoquoque eo vergente, quo theoremata rapuerunt. Si vero licet, opiniones, annorum longa catena sancitas, in dubium vocare, num revera, quaeramus, calor in morbis obvius *symptoma est tanti momenti*, ut illi infringendo summam intendamus curam? Quaestioni huic aliam subjungamus, num *certam habemus rationem, qua calorem nimium tute imminuemus*, ita ut illam praecipientes, simul et praecipiamus remedia, quae sint adhibenda? Utraeque hae quaestiones si negandae nobis sint, negemus et hoc necesse est, methodum existere medendi, cui nomen indatur *refrigerantis;* illa enim, tum remedia amplecteretur diversissima, tum in symptoma solum quoddam tenderet, cui methodum aliquam opponere non fas est, quia ad rudem empiricen sternit viam.

Quod si probaverimus, fusiori nulla indigebit argumentatione, neque methodo antiphlogisticae frigefacientis notionem suggeri posse.

Calorem vero auctum praecipue in morbis febrilibus atque inflammatoriis offendimus; verum tamen, num ille revera est signum tam mali ominis? Nonne potius curis angimur et de felici morbi successu dubii haeremus, si ejusmodi aegrotos *frigescentes*, aut tamen minori, quam consuevimus, caloris gradu affectos invenimus; quia ex hac symptomatum inter se discrepantia perniciosa morbi indoles atque infausti exitus periculum eminent? Quando aegroti nostri, peritonitide laborantes, algent, exsudationem metuimus; symptoma idem in capitis vulneribus obvium, suppurationem indicat intra cavum cranii; febris intermittens, quae legitima caret caloris accessione, pravae morbi naturae commovet suspicionem; ne dicamus de gangraena et singularum corporis partium mortificatione, frigore plerumque praenuntiatis! E contrario vero nullum proponere possumus morbum, qui propter ipsum caloris incrementum scrupulos nobis injiciat, nisi fere eum excipiamus, quem veteres *Causum* appellabant, nobis parum notum! Est quidem *species quaedam caloris*, febribus putridis, hecticis, et gravioribus nonnullis nervosis peculiaris, tam aegris molestissima, quam manibus impositis ardoris sensum valde ingratum impertiens, augurium sane plerumque virium instantis dissolutionis; at illum nec *causam* funesti eventus, sed morbi malignitatis consentaneam putemus *sequelam*, quae quamvis deesset, conditio tamen aegroti melior non evadat, nec, si recentioribus physiologico — pathologicis disquisitionibus fiden-

dum est, a ***calore aucto***, sed a ***cutis alienata*** deducemus ***secretione.***

Utut tandem sit, id tamen manifestum atque apertum est, non ex ***ipso calore*** aucto morborum nasci vehementiam, sed illum symptoma tantummodo esse atque indicium impetus illorum validioris, quo adaucto aut imminuto etiam ille aut augetur, aut imminuitur. Nonne igitur cura esset mere symptomatica atque cordato medico prorsus indigna, in ***symptoma*** tale solitarium tela mittere; a qua ut quam maxime caveamus, nuperi potissimum monent anni, qui errores vident sectae cujusdam medicinae, omnino illi indulgentis? — Denique, ***medicamenta***, quibus calor nimius imminuitur, quam valde inter se differunt! In febribus ***gastricis*** ardor in fronte totoque corpore optime levatur ***emeticis;*** contra in febribus ***inflammatoriis*** calor eximius, potissimum in facie turgescente et rubore suffusa, perspicuus, non nisi ***Venaesectione*** lenitur; in ***putridis*** mordax atque fere intolerabilis cutis aestus remediis tollitur ***antisepticis***, acidis mineralibus etc., in ***hecticis*** China aliisque ***roborantibus***; ***hypochondriacorum et hystericarum*** caloris sensus, modo in pectore, modo in ventriculo, modo in abdomine, et ubiubi obvii, remedia postulant, ***nimiam sensibilitatem mitigantia***, Castoreum, narcotica, Asam etc.; et sic tota facile materia medica afferri possit, si omnia, quae calori oppugnando adhibentur remedia, essent recensenda. Cum vero res ita se habeat, quid, quaeso, commodi inde evadat medicinae practicae, methodum proponere medendi, vagam adeo atque dubiam, ut neque certam quandam amplectatur medicaminum classem,

neque in morbo quodam sanando existat dux, sed in symptomate aliquo compescendo omnino versetur?

Exinde *a priori* (ut ajunt) jam colligi potest, methodo antiphlogisticae refrigerantis notionem subjici non posse; restat nunc, *analytico* quasi more, inquirere, num revera remedia, quae dicuntur antiphlogistica, sint refrigerantia? Excruciabant se viri docti haud semel in explicanda *ratione, qua* Venaesectio, Nitrum etc. *refrigerantem* suam excerceant vim; unde vero tam perspectum habent, illis omnino inesse vim refrigerantem? Etenim ex eo, quod, illis adhibitis, caloris sequitur imminutio, id concludere non licet; alioquin iis etiam tribuenda esset vis mitigandi dolores, tollendi anxietatem, allevandi respirationem, removendi cutis ariditatem, abalienandi urinae colorem flammeum et sexcentas alias efficiendi commutationes, febrium decrementi comites! Quin immo de ipsis *frigidis fomentis* minime constare nobis videtur, utrum effectus suos salutares in inflammationibus, febribus et exanthematibus, vi *frigoris* sibi insiti exerceant, an alio quodam modo, simili videlicet ei, quo haemorrhagias sistunt, vegetationem deprimunt et qualescunque habeant virtutes. — Equidem *supposita* hac, sed nullo modo *confirmata*, remediorum vi refrigerante nixi, viri docti nonnullas remediorum classes, dichotomia quadam, in *calefacientia* et *refrigerantia* distribuendas statuerunt, unde nomina sua petierunt diuretica frigida, diaphoretica frigida, purgantia frigida etc. At vero, ne quis putet, illa, quibus frigidorum nomen inditum est, revera *refrigerare;* minime gentium! Abhorrent quidem ab irritante atque forsan calefaciente vi reliquorum remediorum, in eandem classem referendorum; sed hanc

ob causam: ***non irritantia***, ***non calefacientia*** essent denominanda, ***frigida*** vero seu ***frigefacientia*** ex quodam verborum abusu, tirones facile obturbante, appellantur.

Omnibus his accurate perpensis, quibus, — nisi fines angusti, et temporis, et hujus libelli obstent, quominus in ampliorem campum discussionum possimus exspatiari, — multa adhuc addenda habeamus, quae nostram suffulciant opinionem, haud falsae nobis videntur argumentationes: 1) Caloris in morbis incrementum per se non tanti momenti esse, ut, illum imminuendi, ***principalis quaedam evadat indicatio.*** 2) Nulla inveniri remedia, quorum ***vim refrigerantem*** plane comprobatam habemus, nisi forte ***frigus*** ipsum, sive interne, sive externe corpori applicatum, excipiamus. 3) Eorum, quae indirecte calorem minuunt, ***alia*** vulgo antiphlogisticis adnumerari, ***alia*** non.

Quibus expositis confirmatum satis putamus, ***methodum refrigerantem***, a therapeutis quidem saepius ***commemorari***, sed ***re vera non existere***, neque ideo methodo antiphlogisticae notionem refrigerantis posse attribui.

§. 9. Excutitur sententia eorum, qui antiphlogisticis notionem debilitantium supponunt.

Processimus nunc ad eam, quae novissimis potissimum temporibus increbuit, methodi antiphlogisticae notionem explanandam; quam, ad vires vitales referri, supra innuimus.

Sine ulla dubitatione maximus, quem medicina recentior fecit, progressus et quem praecipue acumini medicorum ingeniosissimorum seculi proxime praeterlapsi

debet, is erat, ut purgaretur a pristino errore, omnium morborum causas in ***materiali*** quadam mutatione positas esse; contra vero haec invalesceret opinio, organismi naturam non esse conferendam cum natura rerum, vita carentium, chemicis mere aut physicis legibus obtemperantium. Attamen, *quid* illud sit, quo organismi ab anorganicis differant, neque nunc rectius perspiciebatur, supposita nostra vi vitali; sed id habuit commodi, ut propter latiorem, quae illi tribuebantur sensus atque sedes, aptior esset ad vitae, et sanae, et morbosae, phaenomena quaeque illustranda. — Pathologia inde fructus tulit haud parcos. Quae priores explicare non valuerant, quia in quocunque morbo materialem quandam humorum aut partium solidarum quaesivere depravationem, quam nisi invenerint, aut de morborum natura dubii haeserunt, aut illos ex chemica quadam vel mechanica causa imaginaria petierunt; ea nunc saepissime, habita ratione vis vitalis, facile satis ac sine incommodo potuerunt exponi. Vim vitalem, dixerunt, omnibus inesse, quae vita gaudeant, aliis majorem, aliis minorem; una cum illa et vitam aut perdurare, aut exstingui; cum vero ab illa omnes singulorum organorum actiones dependeant, quarum consensu sanitas constituitur, hanc exsistere non posse nisi integra vi vitali, qua laesa variae oboriantur morborum formae, aut nimia actionum vehementia, aut debilitate insignitae, prout illa fuerit exorbitans, sive prostrata; praeterea vero vim vitalem etiam *qualitate* sua a normali in actiones vitales impulsu posse recedere, unde materiales humorum solidorum nascantur mutationes. —

Hoc fundamento nixa, therapia recentior indicationes medendi sibi finxit, plane remotas ab iis, quas veteres in aegrotis suis curandis adimplendas censuerant; jam non medici animum omnino indulgebant putrescentiae humorum corrigendae, acetositati, ut dicunt, neutralisandae, acrimoniis auferendis, lentori sanguinis solvendo; sed ad vim vitalem diligenter adtendebant, et hunc propositum sibi habuerunt curationis scopum, aut illam deprimendi, si nimia esset atque exorbitans, aut sustentandi, si flaccescat et a normali vigore desciscat, aut denique omnino conformandi et quasi novam illi induendi naturam, si ita commutata esset, ut inde actiones vitales evaderent perversae et qualitate abnormes. — Illam vero medendi methodum, quam adhibendam statuerunt in virium vitalium nimio robore atque impetu, appellarunt ***debilitantem*** sive ***antiphlogisticam***, quippe quae vires imminuat, corpus debilitet atque inde omnes actiones reddat tenuiores atque tardiores.

Ut vero probari possit, hanc veram esse ac genuinam methodi antiphlogisticae notionem, duplex instituenda erit quaestio: 1) Num revera morbi illi, qui, ut curentur, methodum requirunt antiphlogisticam, ingenti organismi ***vigore atque virium abundantia*** excellant? 2) Num remedia, quae vulgo antiphlogisticis adnumerantur, reipsa ***debilitante atque vires exhauriente*** polleant virtute?

1) At profecto difficile satis est intellectu atque cum nostra de morborum in genere natura opinione minime consentiens, tales mente comprehendere morbos, qui ***nimiis viribus, nimio quasi sanitatis gradui*** originem suam deberent! Vim vitalem putamus pro fonte atque

moderatrice vitae; omnes corporis actiones ab illa regi, illi esse subjectas; quid ergo naturalius, quam ut, si esset abundans atque exaggerata, ipsas etiam vitae actiones redderet fortiores atque validiores indeque toti corpori existeret ***major integritas*** atque summa quasi, qua unquam pollere possit, perfectio; minime vero in aegritudinem transitus? Equidem nonnulli existimarunt, ***inflammationem*** tale esse cujusdam partis, ***febrem vero inflammatoriam*** totius organismi, vitae augmentum; sed cogitationem hanc plerique jam dudum abjecerunt. Quicunque in aegrotis observandis aliquantulum peritior est, non vitae ***validioris***, quin immo ***remissioris*** in illis inveniet vestigia haud obscura! ***Glandulae*** et ***membranae mucosae***, inflammatione correptae, consuetos humores secernere omnino desinunt; ***membranae serosae*** in morbosas incidunt secretiones; ***musculi*** inflammati partium motui inservire non valent. Item in febri inflammatoria omnes fere functiones sunt perversae aut plane suppressae, digestionis vis jacet, omnes secretiones parcae sunt atque infirmae, aegroti indies magis enervantur ac macescunt. Numne, quaeso, omnia haec symptomata sunt vitae validioris ac virium incrementi? — E contrario vero sunt utique morbi nonnulli, qui vis vitalis auctae energiae, aut tamen reproductionis fortioris speciem prae se ferant, ut ex. c. lippitudo, singularum partium hypertrophiae etc., nihilo vero minus nemini in mentem incidit, illis adhibere methodum antiphlogisticam!

2) Quod ad alteram nostram attinet quaestionem; «num remediorum antiphlogisticorum vere ***possit demonstrari virtus debilitans***,» num secundius casurum sit responsum valde dubitamus. Scilicet, si antiphlogisticorum

nomine nil comprehendamus, nisi eorum, quae ad vitam sustentandam necessaria sunt, et alimentorum, et sanguinis, et incitamentorum omnino ***detractionem***, merito illa appellemus ***debilitantia***, atque cura per inediam (Hungerkur) tunc haud dubie optimo jure mereatur in nomen curae antiphlogisticae! Cum vero nemo facile inveniatur, qui non et nitrum, sal ammoniacum etc. inter efficacissima referat antiphlogistica; quomodo eorum vim debilitantem ***contendere*** quis, aut demum ***probare*** valeat, nescio! Quin immo ne de sanguinis quidem missione absolute effari licet, debilitare eam corpus atque vires infringere; ne in febribus quidem gravioribus inflammationibusque internis, cum aegroti cubent afflicti, spiritum non nisi molestissime ducant, pedem aut manus movere non possint, caput erectum tenendi sint impotes, — ne in his quidem, dico, occurrit, ut, Venaesectione instituta, immo pluries repetita, vires prostratae recolligantur, pristina debilitas sensim minuatur atque tandem plane auferatur. — Denique quoties arcessitur medicus ad aegros exhaustos ita atque paene consumptos, ut, si quocunque possit, novas illis infunderet vires, ubi tamen morbi natura ad antiphlogisticae methodi usum impellitur! Recordemur solummodo phthisicorum, hydropicorum, vetularum atque infantum, morbis sthenice inflammatoriis correptorum; ecquis propositum habet ***debilitandi***, dum illis adhibet methodum antiphlogisticam?

Haec forsan animo pervolverunt viri docti, (1) qui ab illa, quam modo exposuimus, notione recedentes, methodum antiphlogisticam non vires ***debilitare***, sed

---

(1) Sprengel, Hildenbrand, Nasse etc. vid. supra §. 5

sedare modo atque impetum nimium *compescere* putaverunt. — Recte sane intellexerunt, vim vitalem ipsam nunquam ita posse increscere, ut ipsa sua exorbitantia damnum inferret valetudini; sed eam, quae organismo inesset, quantacunque sit, ita posse irritari ac concitari ad actiones fortiores, ut omnes vitae processus inde fiant vehementiores ipsaque vis vitalis facile plane consumatur. Quod cum etiam evenire possit viribus minime adauctis, quin immo prostratis, dummodo causae existant, illas excitantes et quasi provocantes; ea, quae in priori definitione vituperabantur, hic afferri non potuerunt. — Nihilo tamen secus neque eam methodi antiphlogisticae notionem pro vera ac profecta ex accurate perpensis morbis, quibus illa adhibetur, haberi potest. Etenim, si methodus antiphlogistica omnino in eo versetur, ut nimiae actiones *mitigentur*, illa in multis morbis esset applicanda, in quibus illa uti non solemus, quamquam actionum vehementia excellant, ut in hysteria, spasmis etc.; porro multa antiphlogisticis *adnumerantur* remedia, quorum vim sedantem vix, ac ne vix quidem intelligimus, ut nitrum, acida vegetabilia etc., alia vero, quibus illam inhaerere notissimum est, ut narcotica, ab illis *excluduntur*.

§. 10. Colligitur, quae definitio methodi antiphlogisticae ad veram illius naturam maxime quadrare videatur.

Omnes, quas hucusque exposuimus de methodi antiphlogisticae notione sententias, ejusmodi erant, ut in illis *refellendis* magis, quam *assentiendis* nostrum versaretur negotium; ita ut facile eo compellamur, ut nonnullorum sequamur exemplum, illam omnino e therapia

generali *exterminandam* sententium, utpote quae composita esset ex nonnullis aliis methodis, ac propterea non semper eadem. Verum tamen longe absit, ut hoc faciamus; methodus illa nimis pervulgata est in universis, inde a Boerhavio scriptis medicis, et in omnium, qui medicinae exercendae operam dant, ore, usitatissima. Sed ita illam definiamus, ut notio, quam supponamus, accommodata sit statui morboso, cui illam adhibemus, et ex ipsa illa pateat, quaenam remedia antiphlogisticorum nomine sint comprehendenda. Quare maxime arridet ea sententia, in quam etiam Horsch, Bartels, alii, innuerunt, *methodum antiphlogisticam eam* appellari, *quae valeat*, *systematis sanguiferi nimias actiones atque energiam exorbitantem restringere atque imminuere*, partim vere debilitando, partim ita immutando atque conformando, ut actiones inde evadant normales. —

Ut vero recte intelligamur, distinctius terminemus necesse est, *quid* vocabulo *systematis sanguiferi* expressum velimus, et *in quibus morbis* illud exaltatum putemus; nonnunquam enim autores illo non nisi vasa, sanguinem vehentia, comprehendunt, nos vero totum spectamus systema haematagogum, cor igitur et vasa, una cum sanguine. Tempus est, ut finem faciamus vetustis rixis de sede nonnullorum morborum, praecipue inflammationum atque febrium, in vasis an in sanguine; utraque ita inter se conjuncta sunt atque tam arcte cohaerent, ut, altero violato, alterum incolume esse non possit. Pariter ac *sanguis* unicus ille est stimulus, quo vasa ad normalem motum concitari possunt, aqua vero illis infusa, aut quolibet alio liquore, cor atque vasa sistunt atque mors insequitur; ita etiam sanguis eam, quae

ad vitam alendam necessaria est, conditionem, tam diu integram asservat, quam ***vasorum motus*** normalis est atque incolumis, simulac vero vasorum actio aut sit exorbitans, aut interrupta, ille etiam a legitima indole discedit, partibus, quibus constat, alienatis. Quoties igitur de morbis systematis sanguiferi fit sermo (nisi forte illos excipiamus, mechanicos magis, ut aneurysmata, ossificationes etc.), cogitandum est et de vasis, et de sanguine, modo illis, modo hoc prius affectis, alterum vero semper post se trahentibus. Apparet vero illud clarissime in inflammatione, et quidem in vera illa ac genuina, activa. Haud improbabile est, primitivum morbi focum esse in ipsis ***vasis***, fortius atque vehementius agentibus; sed ex eo, quem modo statuimus, principio, colligere licet, etiam sanguinem ***crasi*** sua esse commutatum, nec refellitur experientia. Quod in inflammatione vasorum actiones, praecipue capillarium, sint auctae, jam Boerhavii notissima in cuniculi aure quadam abscissa experimenta probaverant, posteriora vero ab Huntero, Thomson, aliis, instituta confirmarunt atque dilucidius demonstrarunt; simul vero et ipsius sanguinis immutata temperies in dubium vocari non potest, et, quamquam cum Boerhavio de lentore suo phlogistico consentiendum non est, crusta tamen pleuritica, omni tempore observata, et diligentissimae Hewsonii aliorumque sanguinis, e vena missi, investigationes, illius morbosam qualitatem indicarunt, quam ex fibrinae nimia multitudine oriri ingeniosissima nostri Joannis Muelleri experimenta (1) nuper affatim ostenderunt. Sed non solum in veris inflammationibus eum, quem su-

---

(1) **Handbuch d. Physiologie p. 112.**

pra significavimus, systematis sanguiferi altiorem vitae gradum invenimus; reperitur etiam in quibusdam affectionibus morbosis, in quibus inflammatio quaedam localis plane deest (quod quidem negatur a Broussaei schola), praecipue in nonnullis febribus, inflammatoriae inde dictis. Etiam hae excellunt vehementia quadam vasorum, validius sese contrahentium et sanguinem inclusum majori cum vi propellentium; et ipse sanguis abundat materia, organis alendis idonea, in crusta pleuritica satis perspicua. Quin et ipsi morbi inveniuntur, nec inflammationes, nec febri inflammatoria stipati, atque tamen in classem eorum pertinent, quos methodo antiphlogistica curandos putamus, quia eadem systematis sanguiferi nimia energia valent, ex. c. haemorrhagiae activae, congestiones fortiores, apoplexiae activae etc.

Neque vero e contrario timendum est, si quidem diligenter in eam, quam statuimus, systematis sanguiferi notionem intuemur, ne, illam definitionem secuti, in morbos, quibus methodus antiphlogistica minus sit apta, illam transferamus. Nimirum, qui solummodo ipsa vasa spectet, facile eo perducatur, ut in morbis scorbuticis, putridis etc. propter pulsuum frequentiam atque celeritatem, actionum vehementiam simulantes, in praeposteram incidat curationem; quum vero simul et sanguinem consulimus, in his morbis semper dissolutum atque a nimia energia toto coelo diversum, ab hoc errore securi servabimur. —

Ceterum quadruplex est, cur eam de methodi antiphlogisticae notione pronuntiationem, quam modo laudavimus, ceteris praeferendam ac rei veritati accommodatissimam putemus:

1) Illa non singulum quendam morbum definit, methodum hanc requirentem, quod temere fecerunt, qui ei ***inflammationem***, tanquam unicum agendi campum, tribuerunt, atque eo effecerunt, ut tam negligeretur in morbis, non inflammatoriis, quamvis ex longa experientia illam exigentibus, quam applicaretur in inflammationibus, quarum indoli non erat apta, ut asthenicis, putridis etc. Omnino potius statuit, quodvis sit morbi nomen, sive ille jam notus, sive aliquando adhuc inveniendus, sive in robusto quodam homine, sive in infirmo simulac exorbitante vi atque energia systematis sanguiferi excellit (quod cognoscere saepissime sane medici requirit acumen haud vulgare), methodus antiphlogistica est adhibenda, modo uberius, modo parcius.

2) Non minus illa a vitio eorum arcemur, qui, methodum antiphlogisticam ***refrigerantem*** appellantes, unicum hunc refrigerii effectum animadvertunt, quo facile in eos labuntur errores, quos supra notavimus; nostra vero methodi antiphlogisticae definitio hanc vim refrigerandi non excludit, sed illam, tanquam naturalem imminutae vasorum actionis sequelam, jam in se complectitur.

3) Illa et accurate satis ac distincte medicamenta describit, methodo antiphlogisticae adnumeranda, et eorum, quae experientia nos tanquam salutaria in ejusmodi morbis comprobavit, vires atque agendi rationem explicat haud obscure. Jam non dubitari potest, num ***Venaesectio*** inter antiphlogistica sit referenda, nec ne; certe accensenda est iis, quorum tenet locum facile principem! Quid enim potentius systematis sanguiferi actiones deprimere ac debilitare valet, quam amotio hujus materiei, propter quam et quo stimulo illae unice perficiuntur?

Non minorem, si illam definitionem sequimur, aliorum medicaminum antiphlogisticae virtutis invenimus explicationem, nempe ***purgantium***; quippe quae augendo secretiones, humores in organa quaedam alliciant, ubi foras ejiciantur atque ita systema sanguiferum ab onere deliberant, illud gravante atque excitante. Quod denique attinet ad ***nitrum similiaque remedia***, propter virtutem suam antiphlogisticam notissima, quamvis humorum nihil auferant, etiam illa in nostra methodi antiphlogisticae notionis definitione continentur; debilitant enim energiam vasorum, relaxando illorum fibras, quod, quamvis experimentis comprobatum nondum sit, vulgo tamen creditur.

4) Neque hoc ultimam illius laudem putemus, quod ***non sit arbitraria*** atque ex libito profecta, sed ***historico nitatur fundamento***, cum ad primariam atque genuinam notionem proxime accedat, ita quidem mutata, ut pathologiae postularunt profectus. Quamvis enim medicinae, ut cuilibet disciplinae licet, a prioribus sententiis decedere, novas proferre rerum explicationes, ac vetusta praecepta abrogare; minime tamen probari potest, si in verbis talis fit lusus, ut illis usitatissimis alius supponatur sensus, quo omnia miscentur ac turbantur.

Disquisitione de methodi antiphlogisticae notione absoluta, restat, ut nonnulla adhuc addamus de causis, unde haec autorum in illa exponenda nata fuerit confusio atque discrepantia. Profecto enim, si ipsum usum practicum spectamus, in iisdem fere illa ab omnibus cujusque temporis medicis expertis adhibebatur morbis, eademque illi adnumerabantur remedia, sive refrigerantem, sive debilitantem, sive quamcunque aliam virtutem illis suppeditaverint; nec, nisi a discipulis, magistrorum verba male

percipientibus, eorumque definitionibus, non semper rectissimis, coeco animo addictis, in ipsam praxin prodierunt abusus. — Causae igitur exstent necesse est, cur in illius notione theoretice definienda tam inter se dissenserint. Atque exstant quidem, et, nisi omnino fallimur, duae: 1) omnino *opiniones de medendi methodis* semper valde erant incertae atque dubiae, ut supra jam monuimus; modo illis exprimendos censebant *morbos*, quibus quaedam curandi ratio anxiliatur; modo *remedia*, quibus utitur; modo *symptomata*, quae aufert; modo *organa* aut *systemata* corporis, in quae potissimum agat, et quotquot sint rationes, ad quas virtutes classis cujusdam medicamentorum perpendi possunt. Quid ergo mirum, etiam antiphlogisticis id evenisse? — 2) Respiciendum est in *medicinae historiam*, varias nobis proponentem theorias atque systemata, quibus ars medica, modo huc, modo illuc traheretur; et quorum diversis de morborum omnino ac sanationis natura ac ratione commentis, methodi etiam antiphlogisticae notio atque agendi explicatio accommodabantur. Quae cum enodate illustrari non possint, nisi fatis methodi antiphlogisticae planius quodammodo expositis; in secundam dissertatiunculae nostrae partem differenda satius putavimus. —

VITAE CURRICULUM.

Calend. Novem. a. undecimi seculi hujus natus sum ego, *Lion Hollstein*, Lesnae, oppido Posnaniensi, a patre *Josepho*, a matre *Amalia*, e gente *Caro*. Veteri fidei addictus sum.

Aetatis anno decimo tertio Gymnasium adii Lesnense, quod tum florebat Directore praestantissimo *Joh. Christ. de Stoephasius*, septem ibi peregi annos, tum, testimonio maturitatis instructus, hanc petii Universitatem literariam Berolinensem. Cujus in civitatem me recepit m. Maj. a. MDCCCXXXII. Ill. *Marheineke*, t. t. fasces tenens academicos, in Medicorum vero album Beat. *Rudolphi*, t. t. hujus Ordinis Decanus.

Scholis abhinc interfui: Beat. *Rudolphi* de Encyclopaedia medica; Ill. *Ritter* de Logice; Ill. *Schlemm* de Osteologia, de Anatomia universali et de arte, cadavera rite dissecandi; Ill. *Schultz* de Botanice; Cel. *Wieg-*

mann de Zoologia; Ill. ***Gans*** de historia recentiori; Ill. ***Mueller*** h. t. Decani Spectab. de Physiologia et de Anatomia pathologica; Ill. ***Mitscherlich*** de Physice experimentali et de Chemia; Cel. ***G. Rose*** de Mineralogia; Cel. ***Eck*** de therapia generali; Ill. ***Wagner*** de pathologia et therapia, cum generali, tum speciali, de medicina forensi, cum theoretica, tum practica; Cel. ***Casper*** de arte, formulas medicas componendi; Ill. ***Juengken*** de Chirurgia, cum generali, tum speciali, de Akiurgia; Ill. ***Kluge*** de chirurgia generali, de fracturis et luxationibus, de elementis artis obstetriciae, Ill. ***Busch*** de arte obstetricia, cum theoretica, tum practica; Ill. ***Hecker*** de Historia medicinae; Cel. ***Ehrenberg*** de physiologia comparata Infusoriorum etc. —

Clinicis utebar lectionibus, tam medicis, quam chirurgicis, quam ophthalmiatricis: Cel. ***Barez***, Ill. ***Bartels***, Ill. ***Busch***, Ill. ***de Graefe***, Ill. ***Juengken***, Ill. ***Osann***, Ill. ***Rust***, Cel. ***Truestedt***, Cel. ***Wolff.***

Quibus viris omnibus summe venerandis maximeque de me meritis, maximas, quas possum, ago gratias. —

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. ***Pulmonum tuberculosis*** non est morbus insanabilis.
2. ***Depositiones scrofulosas*** in telam cellulosam haud raro praestaret, maturius ***exstirpare***, quam longinquam exspectare suppurationem.
3. Signis morborum pectoris ***acusticis*** subtilioribus major fides est habenda in eis, quae ***negant***, quam in eis, quae ***affirmant.***
4. Non assentiendum sententiae eorum, qui ***syphilidem ossa non obrepere, nisi mercurio adhibito***, contendunt.
5. Majorum ***ligatura vasorum*** ad Pseudoorganisationes quasdam fame quasi enecandas, operatio est futilis nec unquam felici gaudens successu.